

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Primam & Secundam
complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit, Cum iudicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617789

Caput CLXIII. Christus Parabolam De Decem Virginibus Apostolis Suis
Proponit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18162

humano, ad ipsorum tunc consolationem, tunc admonitionem. Voluit autem Christus hac epiphonemata & emphatica repetitione uti 1. ut ostenderet præcepti hujus de vigilantia necessitatem. Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis dicitur, Christus igitur tribus distinctis vicibus in hac unica concione præceptum vigilantia repetens ostendit rem maximè seriam & omnibus summè necessariam hic requiri. 2. ut insinuaret præcepti hujus amplitudinem. Ne quis enim cogitaret, parum vel nihil ad se pertinere, quæ Apostolis hic dicta & inculcata, ideo notanter addidit, omnibus hæc esse dicta, ut omnes intelligerent se in persona Apostolorum fuisse præmonitos. Hieronymus in h. l. *Hoc sine concludit sermonem, ut commune omnium præceptum novissimi per primos audiant.* Quamvis enim non omnes victuri sint eo tempore, quo Christus venit ad iudicium, ad omnes tamen pertinet vigilantia præceptum, quia dies iudicii unicuique venit, cum venerit ei mortis dies, ut talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die. *In quo enim quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis quisque die isto morietur, talis in die illo iudicabitur.* Augustinus Epist. 80. 3. ut innueret circa finem mundi supinam fore hominum securitatem, per quam præceptum hoc vigilantia pedibus sit conculcandum Matth. 24. vers. 38. 1. Thess. 5. vers. 3. Quemadmodum enim in diebus Noæ non solum domestici Noæ, sed in genere omnes homines de imminente diluvio per fabricationem arcæ admonebantur, sed admonitionem istam parum curabant: Ita quoque hac iudicis Christi voce omnes ad vigilan-

tiam excitantur, sed pauci eam audiunt & admonitioni huic locum relinquunt. Colligitur autem ex his Christi verbis. 1. Apostolos mandatum scribendi à Christo accepisse. Quia enim in persona ipsorum omnibus à Christo dictum, ut vigilent, & verò Apostoli non erant usque ad diem novissimum victuri, ex eo facile intelligere poterunt, præceptum hoc vigilantia in literas redigendum, ut scripto ad omnes omnium seculorum homines propagetur. Matth. 28. vers. 19. 2. Admonitiones Prophetarum, CHRISTI & Apostolorum in Scripturis sacris annotatas non ad eos solum pertinere, quibus viva illorum voce sunt proposita, sed ad omnes omnium temporum homines Roman. 15. vers. 4. 1. Corinth. 10. vers. 11. 2. Timoth. 3. vers. 16. &c. 3. Verbum illud CHRISTI *vigilate*, semper auribus nostris insonare debere, cum breve compendium eorum omnium, quæ toto vitæ tempore cogitanda & præstanda, nobis exhibeat. Quam necessarium est illud vigilare, tam cito oblivioni à nobis datur, caro enim nostra ad curas & delicias hujus vitæ nos illicit ac dormire nos facit, inde Christus toties nobis exclamat: *Vigilate, Vigilate.* Chrysost. homil. 78. in Matth. *Hæc res, ut semper vigilemus, præcipuo illi est studio atque cure.* 4. In omni ætate requiri, ut vigilemus, pietati vacemus, officium nostrum sedulo faciamus, ac reditum Domini vigilanter expectemus, ut quando venerit, paratos nos offendat & æternam gloria coronam nobis imponat.


Qui vigilare jubet, scelerum depelle soporem, CHRISTE vigil custos da vigilemus. Amen.

CAPUT CLXIII.

CHRISTUS PARABOLAM DE DECEM VIRGINIBUS APOSTOLIS SUIS PROPONIT.

MATTH. 25. v. 1.

RATIO ORDINIS.

 Connexionem cum præcedentibus ostendit Matthæus per particulam *tunc*. Veniet dominus servi illius in die, quo non expectat, & horâ, quâ ignorat, *tunc* simile erit regnum cælorum decem virginibus, id est, in subitaneo illo & improvisto meo ad iudicium adventu tale quid accidet in Ecclesia, quale contigit vel contingere posset decem virginibus adventum sponsi expectantibus, quarum quinque ad gaudia nuptiarum inermittuntur, quæ scilicet lampades suas oleo instructas habuerunt, quinque reliquæ à nuptiis excluduntur, quæ scilicet sponso subito adveniente lampades suas oleo sufficiente nondum instruxerant. Neque quidquam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod huic parabola in serie concionum Christi præmitti debeat. Potest autem hæc connexionis series multis utiliter nos monere. 1. Christus in præcedentibus dixerat & aliquoties repetiverat, *vigi-*

landum esse, Matth. 24. v. 42. Marc. 13. v. 33, 35. & 37. Luc. 22. v. 36. Quia verò probè novit, nos ex carnis infirmitate in vigilando desides ac remissos esse, ideo hoc vigilantia præceptum denuò repetit, ejusque necessitatem elegantissimâ parabolâ ob oculos ponit. In prudentibus virginibus utile ac lætum vigilantia consequens; in fatuis tristem ac noxium carnalis securitatis effectum demonstrat. Quod enim hic sit principalis hujus parabola decem virginibus scopus, ostendit *ἐπιφώνημα* ac subjectum epiphonema, *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis venit.* Sic ergo hæc est tertia parabola, qua nos ad vigilantiam exhortari voluit. Prima petita fuit à patrefamilias adversus furis irruptionem vigilante. Altera à servis reditum Domini sui vigilanter expectare iussis. Tertia jam petitur à decem virginibus sponso adventum vigilanter expectare obstrictis. Mox aliam subjungit parabolam de talentis inter servos patris.

patrisfamilias peregre abeuntis distributis, cujus scopus eodem spectat, unde Chrysof. hom. 79. in Matth. pulcherrimè scribit, quatuor illas parabolas omnes *οτι ταις δις φωναις ην εν παραβολαις εναις, διαφορο ιτινερη nos eodem deducere.* Quò enim harum parabolarum quælibet est posterior, eò perfectius vigilantia necessitatem & futuri iudicii formam exprimit, quam etiam Christus ipse statim subjicit. 2. Parabola proximè & immediate præcedens itidem depingit, quid in die iudicii civibus Ecclesiæ accidet, sed illa principaliter & propriè ad Doctores Ecclesiæ pertinet, hæc verò de decem virginibus parabola in genere ad omnes Ecclesiæ cives pertinet, ad doctores & auditores, ad præpositos Ecclesiæ & populum ipsorum fidei commissum. Autor imperf. operis hom. 52. in Matth. *Notandum, quòd priorem quidem parabolam de doctoribus dicit, hanc autem de popularibus.* August. serm. 23. de verb. Dom. *Intelligamus ad omnes nos, id est, ad universam omnino Ecclesiam istam pertinere parabolam, non ad solos Præpositos, nec ad solas plebes, sed profus ad omnes &c.* *Quinque istæ & quinque virgines, omnes omnino animæ sunt Christianorum.* 3. Quam ergo vigilantiam & prudentiam Christus in specie & cum primis ab æconomis, id est, ab Ecclesiæ præpositis in præcedente parabola requisivit (quò enim quisque sublimius gerit officium, eò magis vigilare & eò prudentius sese gerere debet) eam in genere ab omnibus in domo Dei servis requirit, ne quisquam Christianorum suspiceretur, vigilantia ac prudentia præceptum ad se minimè pertinere. Proinde verbis Christi apud Marcum: *Que vobis dico, omnibus dico, Vigilate,* convenientissimo ordine hæc parabola ex Matthæo subjungitur. 4. Præceperat Christus in præcedentibus verbis vigilantiam & ab omnibus eam seriò requiri docuerat. Ut autem omnibus manifestum fieret, qualem vigilantiam requireret, videlicet spirituales, non autem corporales, ideò in hac parabola subjungit, etiam prudentes virgines, quæ à sponso ad gaudia nuptiarum intromissæ sunt, in adventu eius dormitasse, quod de corporali mortis somno à quibusdam veterum accipi, inferius ostendimus. Neque enim virgines fatuas propterea à sponso rejectas & ex nuptiarum consortio exclusas asserit, quod dormitaverint, cum etiam prudentes virgines id fecerint, sed quod sponso ex improvviso veniente non fuerint paratæ, quod antequam dormitarent, non perspexerint sibi de sufficiente oleo in vasis asservando, quod deficiens lampadam lumen fovere ac Sponso dormitantibus fortè superventuro dignè occurrere possent. 5. In proximè præcedentibus verbis exposuit Christus gravissimum supplicium servo malo in familiam domini sui crudeliter injurio irrogandum. Ne quis verò existimaret, solos manifestè impios, crudeles, luxuriosos, &c. per servum malum præfiguratos esse damnandos, ostendit nec illos omnes salvandos, qui habent *μεροπων* pietatis, interim *δυναμιν* ejus negant. 2. Tim. 3. v. 5. qui adventum Christi Ecclesiæ sponsi sese expectare verbis profitentur, interim ipso facto ad eum minimè sese parant. *Tunc,* quando servus malus in inferni carcerem compingetur, ubi erit fletus ac stridor dentium, idem obveniet fatuis virginibus sponsi adventum sine oleo in lampadibus

Harm. Tom. II. vel Gerh. Contin. pars secunda.

lucente præstolantibus, per quas denotantur omnes, qui speciem tantum pietatis habent in externis operibus, verà fide & interiore pietatis studio destituti, quos dies iudicii imparatos inveniet. Chrysof. hom. 79. in Matth. *In superiore parabola cadentes proximos, temulentum & rem Domini dissipantem atq; perdentem atrociter punit: hic verò etiam cum, qui emolumento aliis non est, nec accumulate indigentibus sua ministrat.* 6. Christus in præcedentibus dixerat, partem mali illius servi, quem Dominus à familia sua separabit, ponendam esse cum hypocritis. In hac igitur parabola Naturam hypocrisios & hypocritarum, exemplo fatuarum virginum uberius declarat. Quemadmodum enim fatuæ virgines verbis profitentur, se æquè ac prudentes expectare adventum sponsi, assumunt lampades, exeunt in occursum sponso, clamant ad focias, *date nobis de oleo vestro,* ad Sponsum verò, *Domine, Domine, aperi nobis,* & tamen coguntur audire. *Non novivos:* ita hypocritæ versantur in externa Ecclesiæ societate, audiunt idem verbum, utuntur iisdem Sacramentis, profitentur in Symbolo, se credere in Christum rediturum ad iudicium, edunt externa opera, magnam speciem habentia, clamant *Domine, Domine* Matth. 7. v. 21. interim coguntur à iudice aliquando audire. *Non novi vos, discedite à me &c.* Autor imperf. hom. 51. in Matth. *Hypocrita sunt heretici, quia fingunt se esse Christianos, cum sint Antichristi, id est, contra Christum.* Item si quis videtur in Ecclesia esse & agat contra Ecclesiam, & ille talis hypocrita dicitur esse. 7. Dixerat Christus, *servum malum esse dividendum,* id est, separandum à familia Domini sui. Ut autem intelligeretur, qualis futura sit hæc separatio & quanto cum damno conjuncta, subjungit, separationem illam fore similem ei, quæ virgines fatuæ separantur & excluduntur à gaudiis nuptiarum, quæ non potest tristior contingere illis, quæ consortium illorum gaudiorum avidè expectarunt. Separati à cœlestibus nuptiis in æternum cogentur esurire, sitire, dolere & animo angere, cum præter illas non sint alia expectanda. 8. Servus malus, cujus præcedens parabola meminit, videtur omnem spem de reditu Domini sui abjecisse, inde enim atque ideò incipit percutere consertos, & commessari cum ebriis, quia dominum suum nunquam rediturum & rationes exacturum esse, sibi persuadet. Ne quis ergo sibi blandiatur & cogitet. Ego moribus longè diversis sum ab hoc malo servo, conjungo me cum servis reditum Domini expectantibus, prædico aliis Christum venturum, aperio eis cœlorum januam &c. Ideò Christus in hac parabola docet, multos, qui sibi & aliis in hac vita sufficere videntur ac dicunt, *dives sum, nullius indigeo* Apocal. 3. vers. 17. aliorum auxilium & subsidium in die iudicii frustra imploratos, multis, qui in hac vita aliis cœlorum januam aperire videntur, eandem fore clausam. Sic igitur inanem sufficientiæ persuasionem in cordibus nostris deprimere & veram humilitatem, quæ in seria insufficientiæ & infirmitatis cognitione consistit illis inferere voluit. 9. Christus in præcedentibus cum vigilantia pias preces conjungendas esse docuit. *Vigilate,* inquit, *& omne.* Causam quare non solum vigilandum, sed etiam semel orandum sit, in hac parabola exponit. Nimirum quia etiam

Yyy 4 pru-

prudentes virgines quandoque dormitant, i. e. etiam pii, non eâ, quâ par erat, animi alacritate semper vigilant, sed quandoque redduntur in fide languidiores, necessarium igitur est, ut piis ac seriis precibus divinum auxilium implorent, quotidie suspirantes. *Excita nos quesumus Domine, ut parati simus, cum venerit Filius tuus, ipsum cum gaudio excipere & tibi puro corde servire.* Non tamen cum fatuis virginibus dormiunt, i. e. non patiuntur lucernam fidei peccatis contra conscientiam vel erroribus pertinaciter defensis extingui, sed linum, fi dei fumigans quotidie *αἰὲν ὡπυρρῶσι*, Esa. 42. v. 2. 2. Tim. 1. v. 6. & c. 10. Ad vigilantiam etiam requiritur constans perseverantia. Quare cum in præcedentibus Christus docuerit, vigilandum esse, jam subjungit exemplo virginum prudentum, esse in vera fide, studio pietatis & expectatione adventus Dominici constanter perseverandum, etiam si Dominus moras necere videatur. Non sufficit alacre exigui temporis studium, quale etiam fuit in virginibus fatuis cum lampadibus in occursum sponsi exeuntibus, sed requiritur etiam constans perseverantia, quâ fatuæ virgines fuere destitutæ ac proinde etiam à gaudiis nuptialibus exclusæ. 11. In præcedente parabola de malo servo in carcerem detruso Christus se proposuerat ut

severum judicem, qui omnes sceleratos & impios æterno exitio sine ulla commiseratione sit adjudicaturus. Ne igitur hac comminatione pii, infirmitatem fidei & suam in vigilando negligentiam animadverentes nimio opere terreantur, ideo in hac parabola se proponit, ut blandum & amicum sponsum, qui ad gaudia nuptiarum etiam dormitantes virgines admittit, easque clamore prius excitari curat, ut cum lampadibus suis paratæ compareant. 12. Matt. 22. v. 1. egregiam *de personalibus nuptiis parabolam* Christus proposuerat, in qua seipsum comparaverat Filio Regis, cui Pater cœlestis nuptias fecerat, ubi per Sponsam intelligitur assumpta humana Natura, ut superius ostendimus, jam igitur subjicit parabolam *de nuptiis spiritualibus & celestibus*, in qua per sponsam intelligitur Ecclesia, quam ex genere humano sibi colligit, quo ipso docere voluit, honorem humano generi in assumptione sponsæ ex ejus consortio, i. e. in incarnatione ipsi exhibitum non subsistere in sola illa humanæ Naturæ massa, quam Filius Dei in personæ suæ unitatem assumit, sed propter personales illas nuptias etiam institui spirituales & cœlestes, per quas Ecclesia ex genere humano collecta in sponsam à Christo assumitur & ad gaudia cœlestium nuptiarum introducitur.

PARABOLA CHRISTI DE DECEM VIRGINIBUS:

MATTH. 25.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Τότε ὁμοιωθῆσεν ἡ βασιλεία τῶν ἑρηνῶν δέκα παρθένοις, αἵνες λαβούσαι τὰς λαμπάδας αὐτῶν ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου.</p> <p>2. Πέντε ἡ ἑσὶν ἐξ αὐτῶν φρόνιμοι, καὶ αἱ πέντε μωραί.</p> <p>3. Αἵνες μωραί, λαβούσαι τὰς λαμπάδας ἑαυτῶν, οὐκ ἔλαβον μετ' ἑαυτῶν ἔλαιον.</p> <p>4. Αἱ δὲ φρόνιμοι ἔλαβον ἔλαιον ἐν ταῖς ἀγγείαις αὐτῶν, μετὰ τὰς λαμπάδας αὐτῶν.</p> <p>5. Χρονοῦντος οὖν τοῦ νυμφίου ἐνύπνισαν πᾶσαι καὶ ἐκάθιστον.</p> <p>6. Μέσης δὲ νυκτὸς κραυγὴ γέγονεν, ἰδὲ ὁ νυμφίος ἔρχεται, ἐξέρχεται εἰς ἀπάντησιν αὐτῶν.</p> <p>7. Τότε ἠρῶθησαν πᾶσαι αἱ παρθένοι ἐκείναι καὶ ἐκώσμησαν τὰς λαμπάδας αὐτῶν.</p> <p>8. Αἱ δὲ μωραὶ τὰς φρόνιμοις εἶπον, Δότε ἡμῖν ἐκ τῶν ἔλαιων ὑμῶν, ὅτι αἱ λαμπάδες ἡμῶν ἐσθίνουσι.</p> <p>9. Ἀπεκρίθησαν δὲ αἱ φρόνιμοι, λέγουσαι, μήποτε σοὶ δέκεσθαι ἡμῖν καὶ ὑμῖν πορεύεσθε ἢ μάλλον πορεύεσθε πωλύντας καὶ αγοράσαιτε ἑαυταῖς.</p> <p>10. Ἀπερχομένων δὲ αὐτῶν ἀγοράσαι ἦλθεν ὁ νυμφίος, καὶ αἱ εὖμοι εἰσῆλθον μετ' αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον, καὶ ἐκλείσθη ἡ θύρα.</p> <p>11. Ὑστέρων δὲ ἔρχοντο καὶ αἱ λοιπαὶ παρθένοι λέγουσαι, κύριε, κύριε, ἀνοῖσον ἡμῖν.</p> <p>12. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, Ἄμην λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς.</p> <p>13. Γρηγορεῖτε ἐν ὅτι οὐκ οἴδατε τὴν ἡμέραν ἢ τὸ ἔωσεν ἐν ᾧ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.</p> | <p>1. Tunc simile fiet regnum cœlorum decem virginibus, quæ sumptis lampadibus suis, exierunt in occursum sponsi.</p> <p>2. Quing, autem erant ex eis prudentes & quinque fatuæ.</p> <p>3. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus suis, non sumserant secum oleum.</p> <p>4. Prudentes verò sumserant oleum in vasis suis una cum lampadibus.</p> <p>5. Tardante verò sponso dormitaverunt omnes ac dormierunt.</p> <p>6. Porro medio noctis clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei.</p> <p>7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & apparuerunt lampades suas.</p> <p>8. Fatuæ autem prudentibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro quia lampades nostræ extinguntur.</p> <p>9. At responderunt prudentes, dicentes: Nequaquam, ne non sufficiat nobis & vobis, sed ite potius ad eos qui vendunt, & emite vobis ipsi.</p> <p>10. Porro dum irent emtum, venit Sponsus, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias clausæ, est janua.</p> <p>11. Postea verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis.</p> <p>12. At ille respondens ait: Amen dico vobis, non novi vos.</p> <p>13. Vigilate itaq, quia nescitis diem neq, horam, in qua Filius hominis venit.</p> |
|--|--|

Exegesis hujus Parabola.

Craviasa feria est exhortatio Apostoli Eph. 5. v. 15. *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, v. 16. redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Eandem exhortationem iisdem ferè verbis repetit, Col. 4. v. 5. *In sapientia ambulate ad eos, qui fores sunt, tempus redimentes.* Non dubito, Apostolum seriam illam exhortationem ex præsentem parabola deducisse ac proinde ad eam verbis hæc nos remisisse. Nam 1. Eph. 5. v. 14. præcedit: *Surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabit te Christus, ubi manifestum est de spiritali evigilatione, resurrectione & illuminatione sermonem esse, ut sit sensus. O homo, qui peccatorum somno indulges, nec iudicium Dei cogitas, surge, evigila ex hoc somno & exurge à mortuis, id est, à peccatis, quæ sunt opera mortua.* Hebr. 9. v. 14. juxta explicationem Chryl. hom. 18. ad Eph. vel ab incredulitate, juxta explicationem Augustini tract. 22. in Johan. per fidem enim solam Christus vivit in cordibus nostris, qui est anima nostra vita, ut idem loquitur lib. de Nat. & grat. cap. 23. Et illuminabit te Christus luce spiritali & ζωοποισία in hac & ζωοποισία in futura vita. Illud vero pulcherrimè convenit cum eo, quod in parabola dicitur, omnes illas virgines dormitasse & dormivisse. Media verò nocte clamorem esse factum: *Ecce sponsus venit, evigilate, exite ei obviam, ut ad lucem gaudiorum cœlestium vos introducat.* 2. Apostolus præcipit, ut ἀπελθὼς caute & exactè ambulemus ac summâ curâ cursum vitæ dirigamus, ut ambulemus ἐν αἰσίδα, id est, σοφίᾳ sapienter ac circumspectè, non ut insipientes, sed ut sapientes, id quod paulò post Eph. 5. v. 17. sic exponit, nolite fieri ἀφρονες, imprudentes, sed σοφῶς, intelligentes quæ sit voluntas Dei. Illud pulcherrimè convenit cum eo, quod in parabola requiritur, ut imitemur virgines φρονίμους, prudentes, quæ probè intellexerunt voluntatem sponsi, eique se obsequentes præbuerunt affluem de secum oleum in vasis suis una cum lampadibus. 3. Apostolus monet, ut tempus redimamus ἐξαγοράζομεν τὸν χρόνον, inquit. Variè hoc exponunt interpretes. Quidam hoc modo. Tempus cum à Deo datum sit, ut hominibus in bonis operibus serviat, captivum quasi tenetur, quando inutilibus negotiis, voluptatibus ac ludis impenditur, quando verò à piis & prudentibus negotiis divinis impenditur, tunc redimitur & ex captivitate in libertatem quodammodo rursus vindicatur. Augustin. serm. 24. de verb. Apostoli. *Tempus redimit, qui aufert illud secularibus negotiis, ut Deo vacari possit.* Quidam hac ratione progrediuntur. Deus peccatoribus tempus, quod secundum communem Naturæ cursum vivendo transigere deberent, diminuit Psal. 55. v. 24. Eccles. 7. v. 18. qui ergo bene agit, dicitur illud redimere, quia illud vitæ spacium, quod alioqui si peccaret, Dei iudicio sibi detrahendum erat quodammodo bonis operibus redimit. Quidam statuunt metaphoram desumptam esse à mercatoribus, qui χρόνον commodam temporis occasionem diligenter observant, quando scilicet in quolibet loco sint nundinæ, & quando sit commodum negotiandi tempus, quorum exemplum pii

imitari & nullam bene operandi occasionem prætermittere debeant. Græca scholia sic exponunt: *ἐξαγοράζομεν τὸν χρόνον ἐστὶν, ἰδίον μακροῦτες ἀλλὰ τὸ διαπραγματεύομεν ἐν αἰσίδα τοῦ θεοῦ.* Quidam existimant, per vocem ἐξαγοράζομεν respectum haberi ad nomen Syriacum ܐܘܪܝܩܘܐ quod significat tempus certum ac determinatum ac descendit à rad. ܐܘܪܝܩܘܐ emit, redemit Dan. 2. v. 9. Joh. 12. v. 5. 2. Cor. 4. v. 5. &c. quo etiam Syrus paraphrastes hoc loco utitur. Sed Syriacum ܐܘܪܝܩܘܐ videtur formatum ex Chaldaico ܐܘܪܝܩܘܐ Eccles. 3. v. 1. Simplicissimum est, statuere, quod Apostolus hac voce ad præsentem parabolam respiciat. Fatuæ virgines, adveniente jam sponso, cum jamdum præterisset tempus, voluerunt ἀγοράσαι oleum sed irritum ac frustraneum fuit hoc studium, quia dum irent emtum, venit Sponsus, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, exclusis ab illis fatuis virginibus. Monet igitur Apostolus, ut rectiùs nostris rebus consulamus, non oleum tempore minus oportuno, sed tempus potiùs in hac vita ementes, id est, de oleo nobis, dum adhuc tempus est, prospicientes. Proinde dum adhuc durat tempus gratiæ, tempus pœnitentiæ, tempus præsentis vitæ, ad pœnitentiam prolongatæ & bonis operibus tribuendæ, pœnitentiam agamus, fide ad Sponsi nostri adventum nos paremus & bene operemur. Gal. 6. v. 10. Hic scopus est præsentis parabola, cujus partes tres sunt. 1. Proparabola. 2. Parabola ipsa. 3. Epiparabola.

Proparabola insinuat in frontispicio positus. Tunc simile fiet regnum cœlorum decem virginibus &c. Ostendunt hæc scopum præsentis parabola, quod videlicet Christus in ea describere velit statum Ecclesiæ futurum in die novissimo. Per regnum enim cœlorum Ecclesia intelligitur, ut ostendimus superius in cap. 153. ubi etiam causas exposuimus, propter quas Ecclesia vocetur regnum cœlorum. Sensus igitur est. Tunc quando servus malus fortietur partem sive portionem cum hypocritis eo in loco, ubi erit fletus & stridor dentium, tunc οὐρανὸς ἦσθε ἠσπιμαβιτὺρ vel simile fiet regnum cœlorum, hoc est, cœleste, decem virginibus. Tunc idem accidet Ecclesiæ, quale quid contigit vel contingere potest virginibus in occursum Sponsi exeuntibus. Quidam statuunt subintelligendam particulam καὶ tunc assimilabitur etiam regnum cœlorum, quia etiam præcedens parabola ostendit, quid tunc futurum sit in Ecclesia vel circa Ecclesiam, quod videlicet pii per fidem & prudentem servum, præfigurati, super omnia Domini sui bona constituendi sint, impii verò per malum servum præfigurati, hypocritis sint associandi & in inferni carcerem abijciendi. Sed non opus est particulam illam subintelligere, cum ex ipsa connexionis serie appareat, præsentis hujus parabola quoad intromissionem ad bonorum & gaudiorum cœlestium participationem, vel exclusionem, ab illis eundem esse scopum cum præcedente, nisi quod in præcedente Christus seipsum comparat Domino, Ecclesiæ cives, præsertim verò ministròs servis; in hac verò sese comparat sponso, Ecclesiæ cives virginibus in occursum sponsi

Sponsi sumtis lampadibus suis exeuntibus. Colligitur autem ex hac *ἀποκάλυψις* 1. Christo non esse sermonem de nuptiis terrenis sed cœlestibus; nec de sponso quodam hujus seculi, sed spirituali & cœlesti. Dicit enim regnum cœlorum *ὡς ἡ πόλις* poterit simile dici seu comparari. Ergo comparatio tantum instituitur inter regnum cœlorum & virgines Sponso obviam euntes. Opponendum hoc illis, qui de virginibus propriè dictis carnis virginitatem conservantibus in hac parabola vel unice vel præcipuè agi existimant, (sicut etiam in Ecclesia Romana hæc parabola inter Missarum solennia in festis Virginum legitur) quorum sententiam Hieronymus in cap. 25. Matt. & Augustinus serm. 23. de verbo Domini refellunt. Hanc parabolam ait Hieronymus, hoc est, similitudinem decem virginum fatuarum atque prudentium quidam simpliciter in virginibus interpretantur, quarum alie juxta Apostolum & mente & corpore virgines sunt 1. Cor. 7. v. 34. alie virginitatem corporum tantum reservantes vel cetera opera non habent proposito suo similia, vel parentum custodia reservatae nihilominus mente nupservunt. Sed mihi videtur ex superioribus alius sensus esse, qui dicitur, & non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus comparatio pertinere. Non mihi videtur, inquit Augustinus, ista parabola vel similitudo ad eas solas pertinere propriâ & excellentiori sanctitate virgines, que in Ecclesia nominantur &c. sed nisi fallor, hæc similitudo ad universam Ecclesiam pertinet. 2. de Ecclesia militante hic propriè sermonem esse, quando regnum cœlorum decem virginibus comparatur. Patet hoc ex eo, quod quinque ex his virginibus appellantur fatue, que etiam a confortio nuptialium gaudiorum excluduntur. Sed in Ecclesia triumphante nulli fatuo locus dabitur, cum omnes luce divinæ sapientiæ sint plenissimè collustrati, nullus etiam in Ecclesia triumphantis societatem semel admissus, ab ea unquam iterum excludetur. Neque obstat huic sententiæ, quod Ecclesia militans videatur potius significari per sponsam, quam virgines pedissequas comitantur, quando Regi adducitur Psalm. 45. v. 15. quam per virgines sponso obviam procedentes. Quidam enim respondent per sponsam in hac parabola intelligi Ecclesiam triumphantem, id est, beatas illas animas, quæ a corporibus piorum solutæ jamdum in cœlestibus gaudiis cum Christo versantur & cum eo ad judicium venturo descendunt, ut corporibus reuniantur, virginum verò appellatione significari eos, quos vivos dies novissimus deprehendet. Probari possit hæc interpretatio ex Apoc. 21. v. 2. ubi Johannes vidit sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem a Deo de caelo paratam sicut sponsam viro suo, uti etiam ex Hebr. 12. v. 22. Accessistis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem & multorum millium Angelorum frequentiam. v. 23. Et Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cælis & judicem omnium Deum & Spiritus justorum perfectorum; quæ Ecclesiæ militantis & triumphantis consociatio in die novissimo demum perfectissimè consummabitur. Nec ulla laborat absurditate, si vel maximè statuamus & per sponsam & per decem virgines sponse focias Ecclesiam militantem præfigurari. Omnes pii simul sumti

& tanquam unum corpus mysticum conjunctim considerati, sunt Ecclesia, ipsa Christi sponsa, singuli verò Ecclesiæ cives seorsim considerati, sunt focia virgines & pedissequæ sponse 2. Cor. 1. v. 2. Beda in cap. 25. Matth. secutus Augustinum lib. 83. qq. quæst. 59. sic differit. Quod sponso dixit obviam venire virgines, sic intelligendum puto, ut ex ipsis virginibus constet ea, que dicitur sponsa, tanquam si omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus filii ad matrem concurrere dicantur, cum ex ipsis filiis congregatis constet ea, que dicitur mater. nunc enim desponsata est Ecclesia, & virgo ad nuptia perducenda est, tunc autem nubet. 3. propriè & principaliter hic agi de statu Ecclesiæ militantis in die judicii futuro. Tunc, inquit Christus, quando scilicet Filius hominis veniet ad judicium, simile fiet regnum cœlorum decem virginibus &c. Idem intelligitur ex eo, quod post ingressum virginum prudentium in locum nuptiarum, janua dicitur clausa, id enim in novissimo demum judicio continget, ubi cœlorum janua ita claudetur ut nullus in consortium cœlestium nuptiarum semel receptus iterum ab eis excludatur, nullus ab illis exclusus ad easdem iterum intromittatur. Secundariò & minus principaliter hæc parabola accommodari potest ad diem mortis, in qua idem uniceque janua cœlorum immutabiliter vel clauditur vel aperitur, propriè tamen ac principaliter ad diem judicii hæc omnia pertinent, ut ex antecedentibus & consequentibus, atque ex toto parabola contextu intelligitur. Autor oper. imperf. homil. 52. in Matth. Tunc simile erit regnum virginibus &c. cum diebus suis completis solutus fuerit mundus, cum venerit iudex omnium occultorum. Et postea. Bene tunc, quia interim non apparet, que prudentes sint, que fatue, quousque tunc multe fatue sicut prudentes, & multe, que videntur prudentes, fatue efficiuntur. Opponendum hoc illis interpretibus, de quibus Augustin. Epist. 80. scribit, quod non contentibili disputatione docere voluerint, hanc de decem virginibus parabolam ad spirituales Christi adventum, qui nunc sit per Ecclesiam, pertinere. Atque hæc tres observationes, quæ magnam lucem præbent parabola, colliguntur ex præmissa epiparabola. Prima quidem ex verbo assimilabitur, altera ex nomine regnum cœlorum, tertia ex syncategoremate Tunc. Ipsi parabola docendi causâ duas constituimus partes. Prior exponit, quomodo decem illæ virgines, quibus regnum cœlorum comparatur, sese gesserint ante adventum Sponsi. Posterior, quales in ipso Sponsi adventu sese præstiterint. Prior earum statum, posterior eventum declarat. Ultraque pars istarum virginum tum convenientiam & equalitatem, tum earum differentiam ac diversitatem exponit. Convenientia respectu prioris partis in eo consistit. i. quod omnes dicuntur virgines. Tunc, inquit Christus, regnum cœlorum simile fiet decem virginibus. Quare regnum cœlorum, i. e. status Ecclesiæ militantis, qualis in die novissimo futurus, comparetur virginibus, de eo variæ occurrunt Interpretum sententiæ 1. Chryf. hom. 70. in Matt. ob virginitatis commendationem hoc factum arbitratur. Cujus rei gratia, inquit, non simpliciter qualemcumque personam posuit, sed virginibus hanc parabolam accommodavit? de sublimitate virginitatis jã dixerat, curiosos esse nonnullos, qui se propter regni

calorum castraverunt, & qui potest capere, capiat. Nec ignorat vulgò magnam de virginibus existimationem fieri, quippe res Naturâ sublimis est, quod inde patet, quia nec apud veteres à priscis illis sanctisque viris culta fuit, & post gratiam nullâ legis necessitate jubetur, non enim imperavit, sed voluntati fidelium commisit &c. Quoniam igitur & magna res erat & majoris apud multos existimationis, ne quis è vere peractâ quasi nullo indigens negligentior in aliis sit, hanc parabolam posuit. Chrysolomum ut in aliis, ita quoque hac in parte sequuntur Theophylactus & Euthymius in hoc loco. Et sane post hæc explicatio utilem præbere doctrinam, quod dono virginalis continentia præditi non debeant suis viribus, suisque meritis confidere, quandoquidem nec omnes virgines, etiam si sublimi illo dono præditæ essent, in consortium gaudiorum cœlestium assumptæ fuerint, quodque proinde multò minus statuere debeant, se posse per hanc virginalis suam continentiam operâ quadam supererogationis præstare, eademque aliis communicare, cum prudentes virgines fatuis oleum communicare recusent, dicentes: Nequaquam, ne non sufficiat nobis & vobis. Sed monuimus superius, in re per parabolam significata non de carnali, sed de spiritali virginitate sermonem esse, ut apparet ex verbo ἐπινοώσθε. 2. Origenes tract. 32. in Matth. virginitatem fidei hac comparatione nobis commendari statuit. Virgines (inquit) sunt virginitate per verbum Dei, qui crediderunt, aut credere volunt. Tale est enim verbum Dei, ut de sua munditia accomodat omnibus, qui per suam doctrinam recesserunt quidem ab idolorum cultura, vel cultura Elementorum creationis Dei, accesserunt autem per Jesum Christum ad Dei culturam. Hieron. in cap. 24. Matth. Decem virgines sunt omnes, qui videntur Deo credere & applaudunt sibi in Scripturis sanctis &c. qui idcirco omnes virgines. (ita enim legendum pro virtutes) appellantur, quia gloriantur in unius Dei notitia & mens eorum idololatriæ turbâ non construpratur. Potest hæc ratio in mystica commodatione locum habere, quia virginitas carnis similitudinem quandam habet cum virginitate Spiritus sive fidei, sicut vicè versâ idololatria & hæreses fornicationi & adulterio comparantur. Quemadmodum enim virginitas carnis sollicitè custodienda ne insidiis scortatorum pateat Sirac. 26. v. 13. sic fidei virginitas contra hæreticorum insidias sollicitè conservanda. 2. Cor. 11. v. 2. Sicut vera virginitas, quæ corporis & animæ sanctitatem sive puritatem complectitur 1. Cor. 7. v. 34. est peculiare Dei donum v. 8. sic fidei virginitas idem est peculiare donum Dei &c. Interim alia quædam literalis ratio querenda, quare Christus regnum cœlorum virginibus comparare voluerit. 3. Simon de Cassia lib. 6. cap. 28. hanc affert rationem, quia Deus humanam Naturam in primis parentibus virginem fecerit. Sed hæc ratio nimis remota videtur & paulò post ostendimus, non totum genus humanum, sed duntaxat Ecclesiæ cives virginibus comparari. 4. Possent igitur cogitari Christum in hac re, quando Ecclesiæ cives virginibus confert, imitari stylum Propheticum. Usitatum enim est in Prophetis, Ecclesiam Israeliticam, quæ cum Christiana Nov. Testam. Ecclesia unum corpus mysticum

constituit, vocari virginem. 2. Reg. 19. v. 21. Esa. 37. v. 22. cap. 47. v. 1. Jerem. 14. v. 17. cap. 18. v. 13. cap. 31. v. 4. & 21. Threnor. 1. v. 5. &c. eò quod virginalis divini cultus puritatem conserve, conservare certè debeat. 5. Sed propria ac literalis ratio, quare Christus regnum cœlorum compareret virginibus in occursum sponsi exeuntibus, petenda est ex ritibus nuptiarum apud Judæos usitatis. Quemadmodum enim apud eos more receptum erat, ut in nuptiis sponso adderentur aliquot comites ac socii, Judic. 14. vers. 11. qui vocabantur חַוְוֵי socii, sodales, amici sponsi v. 20. (ubi vulgata reddidit pronubi) Joh. 3. v. 29. ac יְהוֹיָכָן filii thalami nuptialis Matt. 9. v. 15. Hebræi eos vocant חַוְוֵי in sponsi conclavi familiariter cum eo versantes, quia illorum officium erat à latere sponsi perpetuò esse, ipsumque comitari, sive amicos ad nuptias invitatum prodiret, sive sponsam inviseret, eamque ad nuptias vel in domum suam deduceret: ita quoque moris erat, etiam sponsæ addi quasdam virgines, quæ itidem sponsam sectabantur, inque ejus obsequio erant, sive in loco cum convivii nuptialis, sive in domum sponsi deduceretur. Psal. 45. v. 15. Sponsa in vestibulo Phrygionis adducetur Regi virgines post eam חַוְוֵי sociæ ejus vel concomitantes eam adductæ tibi Cant. 1. v. 3. vocantur עַלְמֹתַי adolescentule, juvencule. Quando igitur nuptiæ celebrandæ erant, sponso vespertino tempore, comitatus sociis suis adolescentibus, accedebat domum sponsæ deducturus eam in domum ad gaudia nuptiarum, tunc è domo sponsæ virgines quædam affidentes sponsæ sponsa ipsa domi residente & adventum sponsi præstolante prodibant sponso obviam, deducturæ illum cum lampadibus in domum sponsæ, & postea in locum nuptiarum, videlicet in domum sponsi, quæ postmodum cum sponso & sponsa nuptialibus gaudiis perfruebantur. Ad hunc morem alludit Christus quando regnum cœlorum virginibus sponsi adventum præstolantibus simile fore asserit. Ut enim ejusmodi virgines sociæ sponsæ adventum sponsi expectabant: ita Christianorum est reditum sponsi sui cœlestis perpetuò expectare. Ut virgines ejusmodi lampades oleo instructas habebant, quo sponsum vespertino vel nocturno tempore venientem dignè excipere possent: sic Christianorum est fide per bona opera reluctente instructos esse, ut sponsum rediturum ad Ecclesiam in cœlestium nuptiarum gaudia, assumendam digne excipere, ipsique cum gaudio occurrere possint. 6. Drusius monet, similem parabolam extare apud R. D. Kimchi Esa. 65. v. 13. Ait R. Johannam filius Zachæi. Simile est Regi, qui jussit servos suos esse paratos, nec desinivit illis certum tempus. Qui inter illos erant sapientes (ad verbum aperti) adornarunt & seipsos sederunt ad ostium regie, dixeruntq. Quicquamne Domini Regis deest? Fatui, qui inter eos, abierunt & fecerunt opus, dixeruntq. Ullane est cana absq. labore? Subito requisivit Rex servos suos, illi ingressi sunt ornati, & hi sordidati. Gavissus est Rex obviam factus sapientibus & succensuit fatuis. Dixit eis, illi sedebunt & comedebunt, hi vero stabunt & videbunt. Hinc parabolæ, ex antiqua Judæorum traditione adductæ conformis Drusio videtur præfens Christi parabola. Sed ad eam magis

magis accedit altera, quam Christus recitat Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri precincti & lucerna ardentis* vers. 36. *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei.* vers. 37. *Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se & faciet illos discumbere & transiens ministrabit illis.* Atque hæc sunt causæ, propter quas Christus regnum cælorum virginibus comparare voluerit, sed jam porrò. 2. quæritur, quare decem virginibus, non pluribus vel paucioribus illud comparaverit? 1. Valentiniani & Gnostici hoc numero ad hæresin suam stabiendam abusi sunt, accommodantes eum ad decem hominum sensus, quorum quinq; corporeos, quinq; incorporeos statuerunt. Ter. tull. lib. de anima cap. 18. *Relucetne jam (in scriptis Platonis) semina hæretica Gnosticorum & Valentinianorum? hinc enim arripiunt differentiam corporaliū sensuum & intellectualium virium, quam etiam parabole decem virginum attemperant, ut quinq; stultæ sensus corporales figuraverint, stultos videlicet, quia deceptui faciles: sapientes autem intellectualium virium notam expreserint, sapientium scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam & supernam & apud pleroma constitutam hæreticarum idearum Sacramenta, &c.* Sed hæc somnia ac deliria hæretica jam dudum refellerunt Irenæus, Tertullianus, & Epiphanius. 2. Autor imperf. oper. hom. 52. hæresin illam repudiat, interim applicationem denarii hujus numeri ad decem sensus retinet. *Decem, inquit, virgines omnes homines sunt, quorum vita decem sensibus sustentatur, quinque carnalibus & quinque spiritualibus &c.* Omne genus peccatorum in quinque dividitur & omne genus justorum in quinque secundum numerum sensuum, non secundum numerum hominum. 3. Hieronymus in cap. 24. Matth. idem rationem quærit in quinque sensibus, qui dum eis bene utimur sapientes, dum malè insipientes sunt, sicque in universum decem efficiunt. *Possumus, inquit, quinque virgines sapientes & stultas quinque sensus interpretari, quorum alii festinant ad cælestia & superna desiderant: alii terrenis fecibus inhiantes fomenta non habent veritatis, quibus corda sua illuminent, quod de visu, auditu & tactu probat ex 1. Joh. 1. v. 1. de gustu ex Psal. 34. v. 9. de odoratu ex Cant. 1. v. 4. 2. Cor. 2. v. 14. Augustinus Epist. 120. cap. 33. Decem virgines nuncupavit, id est, quinque & quinque propter numerum, quo censentur corporis sensus, in quibus habitat continentia, cum à voluptatibus turpibus & illicitis abstinetur.* Gregor. homil. 12. in Evangel. *In quinque corporis sensibus unusquisque subsistit, geminatus autem quaternarius denarium perficit.* Sed usus vel abusus sensuum numerum eorundem haudquaquam multiplicat. 4. Salmeron. tom. 7. tract. 38. memorat Philosophum quendam. Genus fem edidisse librum, in quo parabolam hanc esse exposuerit, quod significetur per eam beatitudinem in hoc consistere, quod Sponsus copuletur sponsæ, id est, intellectus agens patienti post intellectionem omnium rerum materiâ constantium, admittis quinque prudentibus virginibus, id est, quinque sensibus internis habentibus lampades, id est, sensoria organa & oleum, id est, objecta rerum sensibilium, à quibus sine ulla corruptione, imò cum perfectione

patiuntur & exclusis quinq; fatuis, id est, non illustratis externis sensibus propter objectarum rerum absentiam. Sed Christo non fuit propositum de beatitudine naturali agere, & videntur hujus Philosophi somnia ex Valentinianorum & Gnosticorum lacunis hausta. 5. Autor imperf. operis d. l. existimat, respectum haberi ad decem præcepta Decalogi. *Secundum mysterium, inquit, etiam Moses in duabus tabulis suscepit legem verborum, quinque quidem mandata in tabula una, quinque autem in tabula altera. Sicut ergo tabule Testamenti illius, in uno quidem habebant, tamen non poterit fieri, ut amba fierent ad dextram legis, sed necesse erat, ut una quidem cum quinque aliis esset ad dextram, altera autem cum quinque aliis esset ad sinistram, sic omnes Christiani in una tenentur vocatione. Non est autem possibile, ut omnes ad dextram fiant sedentes sed necesse est, ut isti quidem fiant ad dextram, id est, quinq; sapientes, inusti autem ad sinistram, hoc est, insipientes.* Sed hypothesin istam, quod in una Decalogi tabula quinque, in altera idem quinque præcepta fuerint scripta, falsam esse, suo loco ostendimus. 6. Pontificii eam denarii numeri assignant rationem, quod per observantiam decem præceptorum ingrediendum nobis esse in regnum cælorum significetur. Sed hujus quoque hypothesos falsitatem in articulo de Lege ostendimus. Si cui arderet hæc ratio, posset dicere, Christianos ideò comparari decem virginibus, quia observantia decem præceptorum sunt obstricti. 7. Propria & literalis numeri hujus ratio videtur ea, quod in nuptiis splendidioribus tot virgines, sponsæ, comites ac sociæ addi fuerint solita, quæ sponsi adventum expectarent, eademque cum lampadibus occurrerent. Jud. 14. vers. 11. *Simsoni sponso triginta sodales in nuptiis associantur.* 8. Mysticè significari potest multitudo omnium Christianorum, qui virginibus hinc nuptialibus comparantur, sicut etiam homo nobilis peregrinè abiturus decem servis decem minas distribuisset dicitur, quia denarius est numerus perfectionis Gen. 31. v. 41. Lev. 26. v. 26. Amos 6. 9. Zach. 8. 23. &c. Quæritur autem tertio, quanam per has decem virgines nuptiales significentur? 1. Quidam nimium coarctant parabolam, ad eos, qui virginalem continentiam sectantur, eandem tantum referentes, quod Chrysostomus & Theophylactum facere superius monuimus. Concedimus quidem, ambitu parabolæ hujus comprehendendi etiam eos, qui in Ecclesia virginitatem eligunt, illorum enim quidam sunt prudentes, quidam insipientes, sed negamus, ad illos solos hanc parabolam pertinere, cum & viduis & conjugatis eadem conveniat. 2. Quidam nimium dilatant hanc parabolam, statuentes vel ad omnes omnino homines, vel ad Christianos, Judæos & hæreticos conjunctim sumtos eandem pertinere. Priori sententiæ assurgit Hilarius can. 27. in Matth. *Absolutè, inquit, in quinque prudentibus & in quinq; fatuis fidelium atque infidelium est constituta divisio.* Posteriori Hieronymus in cap. 25. Matth. *Mibi videtur, inquit, non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus comparatio pertinere. Sicut enim duo in agro & dua molentes duos significant populos Christianorum & Judæorum, sive sanctorum & peccatorum, qui in Ecclesia constituti videntur, quidem & ipsi arare & molere, sed* cum ita

cum in hypocrisis faciunt. Sic & nunc decem virgines omnes homines complectuntur, qui videntur Deo credere & applaudunt sibi in Scripturis sanctis, tam Ecclesiasticos, quam Judæos hereticos. Hanc posteriorem Hieronymi expositionem ex professo refellit Autor imperf. operis homil. 52. in Matth. Quidam, inquit, putant hanc parabolam ad omnes pertinere & ad hereticos & ad Judæos, præterquam ad gentiles, quoniam illi idolorum cultura corrupti sunt & virgines dici non possunt. Verè autem nec ad Judæos pertinet, nec ad hereticos, quia non possunt Judæi dici virgines, qui projecto & crucifixo sponso adulterum super se Diabolum susceperunt. Neg. heretici virgines dici possunt, qui & ipsi adulterino sensu corrupti sunt, & virginitatem veritatis Christi adulterino sermone corrumpunt. Quod si verò nec ad Judæos nec ad hereticos hæc parabola pertinet, multò minus ad gentiles pertinebit, quippe qui longiori adhuc intervallo ab Ecclesia separantur. Idipsum patet ex eo, quod Christus non dicit: Mundus assimilatur decem virginibus, sed regnum cælorum decem virginibus simile fiet. Constat autem per regnum cælorum Ecclesiam intelligi. 3. Statuendum igitur per has decem virgines & solos & omnes Ecclesie civis significari, qui propterea virginibus comparantur, quia idololatriæ & seculi hujus pollutionibus sese renunciasse profitentur. 2. Petr. 2. vers. 20. ac fidei, hoc est, veræ doctrinæ professione velut spirituali quadam virginitate ab omnibus, qui sunt extra Ecclesie gremium, separantur. Orig. tract. 32. in Matth. In omnibus, quæ didicerunt verbum Dei, regnum cælorum assimilatur virginibus decem. Autor imperf. operis d. l. Hæc parabola ad Christianum tantummodo populum pertinet, de quibus scriptum est. Statui vos uti viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem, ne sicut serpens seduxit Evam astutiâ suâ, sic corrumpantur sensus vestri à castitate, quæ est in Christo JESU 2. Cor. 11. v. 2.

Atque hæc est prima harum decem virginum convenientia, altera in eo consistit, quod omnes sumserint lampades suas, tertia est, quod omnes exierint in occursum sponso. Λαβούσαι τὰς λαμπάδας cum accepissent lampades suas, λαμπάδες est generale nomen luminum, quæ accendi solent, λαμπή enim est splendore, fulgere. Hoc loco per lampades non intelliguntur faces seu funalia, quæ in nostris nuptiis accendi solent, quæque apud Græcos itidem lampadum nomine intelliguntur, sed ejusmodi lucerne, quæ vasculis imposito ellichnio oleo foventur, dictæ aliâs Græcis λύχνος, ut apparet ex illo Aristophanis, ελαιον ὅσα ἐνεσθ' ἡμῖν ἐν τῷ λύχνῳ, in vernacula nostra vocantur Lampen. In hac significatione vox λαμπάδων usurpari videtur Joh. 18. v. 3. ubi a Φωσὶς lucentibus faculis distinguitur, & Act. 20. v. 8. ubi lampades multe dicuntur fuisse in cœnaculo (quamvis in loco posteriore Lutherus reddiderit Sackeln). Syr. habet nomen למפרס, quod ex Græco λάμπας formatum videri posset, nisi convenientiam haberet cum Hebræo למפרס, quod LXX. reddunt per λαμπάς Genes. 15. v. 17. Exod. 20. v. 18. Jud. 7. v. 16. & c. Intelligitur autem ex consequentibus, quod hæc virgines assumserint lampades accensas. Quia enim sponso jam adventante postea conueniuntur lampades

Harm. Tom. II. vel Gerb. Contin. pars secunda.

suas exringui, eo ipso ostendunt eas in principio fulsisse ac proinde accensas fuisse, quæ est Hieronymi observatio. Idipsum congruit cum ritibus nuptiarum apud Judæos usitatis. Quæ enim virgines sponsæ erant comites ac sociæ additæ, illarum præcipuum erat officium, tempore noctis, quo solennitates nuptiales celebrari consueverant Luc. 12. v. 35. adire domum sponsæ, ibidemque unâ cum sponsa adventum sponsi expectare, ita quidem ut singulæ ardentes gestarent lampades ad discutiendas noctis tenebras & sponsum honorificè excipiendum. Quando enim ex præmissis sponsi comitibus intelligebant, sponsum jam adventare atque adibus sponsæ propinquum esse, virgines illæ nuptiales cum ejusmodi accensarum lampadum apparatu obviam sponso procedebant, eumque honorificè exceptum in domum sponsæ, & ex ea postmodum in locum convivii nuptialis & sponsum & sponsam deducebant, utrobique lucentes lampades tum luminis, tum honoris causa ipsis præferentes. Hisce ritibus Judæorum affine est, quod apud Romanos sponsa in domum mariti deducebatur à pueris patrimis & matrimis tribus, quorum unus facem præferbat ex spina alba, reliqui duo nubentem tenebant. Plutarch. in qq. Rom. q. 2. plures etiam faces in nuptialibus solennitatibus accendi solitas intelligitur ex illo Statii.

Fronde virent postes & fervent compita flammis.

Apud Maronem Eclog. 7. dicitur.

Mopse novas incide faces, tibi ducitur uxor.

Quodque apud Græcos in nuptiis faces accendi consueverint, unde illud Niobes apud Libanium Sophistam: ἐγὼ μὲν λαμπάδα γαμήλιον ὀμλω ἀσέβην τοῖς ἡέροις ἢ τοῖς παρθένοις, Ego rebar fore, ut facem nuptialem accenderem præferremq; juvenibus ac virginibus. Matres nubentium faces in nuptiis filiarum tenebant, quod dicebatur δαδελχῶν, apud Eurip. in Phœniss. ubi mater dicit ad filiam. ἐγὼ δ' εἶμι σοι παρὸς ἀφῆσα Φῶς νόμιμον ἐν γάμοις οἷς ἀπέτι μητρί μακαρία, Neg. ego tibi lumen accendi in nuptiis legitimum, sicut beatam decet matrem. Confer Cœlium Rhodiginum lib. 15. lect. antiq. cap. 15. Qui ἐκ τῶ ἀδαδελχῶν γάμων ex nuptiis, quibus nullæ præferbantur faces, nascebantur, dicebantur σκοποι. Interpres Homeri Iliad. 6. Virgines cantaturæ epithalamium domi per multas horas noctis expectabant lampades accensas manibus ferentes; qui ritus accendendarum in nuptiis facularum etiam in Ecclesia Christianam receptus vel in ea conservatus fuit. Hefych. lib. 4. in Lev. jamdudum in nuptiis usitatarum meminit. Niceph. lib. 18. Hist. c. 8. in nuptiis Mauriti Imp. omnes qui dignitates Magistratusq; gerebant, splendide coronati faces nuptiales accendebant. Hi ritus omnes ex Israelitica Ecclesie ritibus originem duxerunt. Quid verò est, quod virgines hæc sumtis lampadibus suis in occursum sponsi exivisse dicuntur, cum postmodum demum sponso jam adventante surrexissent & sponso obviam ivisse dicantur, audito scilicet clamore: Ecce Sponsus venit, exite obviam ei? Quidem per anticipationem hoc dictum esse putant, ut postquam dixerit Dominus, virgines sponso obviam exivisse, deinde exponat, quomodo factum

Zzz

factum

factum sit, ut obviam exierint. Quidam suspicantur, eas bis in occursum sponso processisse, sed non est opus, eò descendere. Dicuntur exivisse in occursum, 1. quia animum habuerunt occurrendi sponso, liquidem eo sine in domum sponsæ se contulerant, ut, quod sociarum sponsæ officium erat, peragerent, h. e. sponso honorificè occurrerent, quò pertinet regula, quod verba activa apud Hebræos sæpe usurpentur pro voluntate ac voto, & proinde exponenda sint per *volo, opto*. Gen. 24. v. 58. Exod. 16. v. 23. 1. Sam. 21. v. 9. Prov. 17. v. 12. c. 27. v. 2. quem idiotismum Hebræum etiam Apostoli in N. Test. imitantur Matt. 5. v. 23. *Si obtuleris*, h. e. offerre volueris munus. c. 10. 39. *Qui invenit*, h. e. invenire voluerit animam suam c. 13. v. 13. *Videntes non vident*, h. e. videre nolunt. Act. 7. v. 26. *Moses litigantes in concordiam redegit*, h. e. redigere voluit. 1. Cor. 6. v. 12. *sub nullius potestate redigar*, h. e. volo seu patior me redigi, c. 10. v. 22. *an provocamus Dominum*, h. e. provocare volumus Hebr. 2. v. 10. *multos filios in gloriam adduxit*, h. e. adducere voluit. 2. quia prepararunt se, ut sponso occurrerent, induerunt se vestibus nuptialibus, lampades accenderunt & ad occurrendum sese composuerunt. 3. quia expectarunt adventum sponsi, ut ipsi possent obviam ire. Ex consequente igitur intelligitur antecessens. *Exierunt in occursum sponso*, h. e. expectarunt adventum sponsi, cui occurrendum esse noverant. 4. quia proximum erat, ut ipsa occurrerent, ac omnes etiam postea occurrissent, nisi quasdam ex illis defectus olei in lampadibus extingui incipientibus fuisset remoratus. In versione Latina additur, quod exiverint in occursum sponso & sponsæ, cui lectioni favent. 1. Interpretes Syrus, qui itidem addit *וְהָיוּ לְסֹסְפֵסָה* & sponsæ. 2. Origenes tract. 32. in Matt. Hilarius can. 27. in Matt. Autor. imp. oper. homil. 52. Augustin. Epist. 120. lib. 83. quæst. 9. 59. serm. 23. de verb. Domin. 3. nuptialis solennitatis ratio. Neque enim sponsus absq; sponsa facile potest solus intelligi præsertim in virginum comitatu, ut Brugensis suspicatur. Quia verò per virgines in occursum sponsæ exeuntes Ecclesia denotatur, inde operose quærunt, quid per sponsam, cui virgines obviam eunt, intelligendum sit. 1. Hilarius per sponsam intelligit a sumptam humanam Christi Naturam. *Sponsus*, inquit, *atque sponsa Dominus noster est in corpore Deus. Nam ut Spiritus carni, ita spiritus caro sponsa est.* 2. Augustin. huic interpretationi conjungit aliam, quod per sponsam diverso respectu ipsa Ecclesia intelligatur. *Exierunt*, inquit Epist. 120. c. 32. *obviam sponso & sponsæ, Sponso quidem filio Dei, sponsæ autem sive quia in eo corpore venturus est, quod assumptum ex virgine, sive quia ipsa Ecclesia tunc clarior apparebit, ut ad universi corporis congregationem membra concurrant, quibus concurrentibus ejus magnitudo monstrabitur.* Hanc posteriore interpretationem amplectitur etiam Aut. imp. operis hom. 52. *Nemireris*, inquit, *quia dixit, Venerunt obviam sponso & sponsæ, Sicut enim Christus cum sit inter nos, tamen venturus dicitur, cum apparuerit in gloria, sic & Ecclesia, quamvis sit inter nos, tamen ventura dicitur, cum apparuerit in gloria sua.* 3. Salmeron per sponsam intelligit Mariam semper virginem, quam cum Filio venturam dicit in gloria & potestate ad judicandum. Sed Scriptura be-

tissimam illam matrem nupiam in eundem thronum judicarium cum Filio collocat. 4. Si in parabola diceretur, virgines hæc nuptiales in occursum sponsæ exivisse, per sponsam convenientissimè intelligerentur beati Spiritus Sanctorum, qui à corporibus ante novissimum diem soluti in cœlestibus gaudiis cum sponso Christo jamdum versantur, cumque eodem ad judicium venturo in comitatu Angelorum descendent, ut corporibus reduniantur, ac cum piis, quos novissimus dies vivos deprehendet unum corpus mysticum, unam Ecclesiam triumphantem constituent Apoc. 21. v. 2. Sed non opus est sollicitè quærere, quid per sponsam, cui virgines obviam procedere dicantur, sit intelligendum, cum 1. Græci Codices, qui soli sunt authentici, hunc *σπὸς δὲ οὐκ ἔστι* non habeant additum. 2. nec legant eum Patres Græci, Basiliius in moralibus c. 5. Chrylostomus, Euthym. Theophylactus h. l. 3. Cajetanus & Erasimus probant, hanc particulam non pertinere ad seriem textus. 4. Jansenius rectè monet, repugnare illud mori apud Judæos in nuptiis recepto, quia sponsa non solebat simul cum sponso virginibus occurrere, sed sponsa domi sedebat sponsum operiens, cui adventanti virgines obviam procedebant. 5. in sequentibus non dicitur: *Eccc sponsus & sponsa veniunt*, sed, *Eccc sponsus venit*. Ergo non est, quod de applicatione hujus particulæ solliciti simus. Per *sponsam* omnium consensu intelligitur Christus, qui in parabola præcedente Matth. 22. v. 1. seipsum etiam confert *filio Regis, cui pater nuptias parat*, ac Luc. 12. v. 36. seipsum comparat *Domino, quem servus expectant, quando à nuptiis revertatur*, (ex quo loco quidam colligunt, quod quemadmodum sponsus excipiebatur à virginibus cum lampadibus ad nuptias veniens, sic cum revertetur à nuptiis, ipsum fuisse expectatum à servis cum lucernis.) Quemadmodum enim sponsus suam sponsam certo tempore domum ducit & nuptialia cum ea celebrat gaudia: sic Christus in die novissimo Ecclesiam, quam in hac vita fide sibi desponsavit, ad cœlestium nuptiarum gaudia transferet Apoc. 19. v. 7. Quid verò per *lampades accensas*, quas gestant virgines in occursum sponsi exire paratæ significetur, de eo plurimum variant Interpretum sententiæ, quarum aliquas inferius recenserebimus. Quia autem jam ante monuimus, per virgines hæc nuptiales intelligi omnes illos, qui fidei professione externæ Ecclesiæ societati sese conjungunt, ideò *sumtis lampadibus in occursum sponso exire*, nihil aliud est, quam profiteri se Christianum, profiteri se expectare Domini adventum, cum in Symbolo fidei Christianæ inter cætera etiam hoc contineatur: *credo in Jesum Christum rediturum ad judicandum vivos & mortuos*. August. serm. 23. de verb. Domini: *Quid est obviam ire sponso? corde ire, expectare ejus adventum.* Hæc enim est confessio plerorumque Christianorum, quod credant fore, ut Christus Ecclesiæ sponsus de celo redeat, mortuos suscitet & universale judicium instituat, quodque agnoscant requiri, ut ad ipsius adventum sese præparent ac honorificè eum excipiant, ut cum ipso ad cœlestium nuptiarum gaudia intromitti possint. Illud profiteri & cum externa Ecclesiæ societate conjungi, est cum lampadibus in occursum sponso exire. Quia verò non omnes

omnes Christiani hoc profitentur, sed inter eos inveniuntur quidam empactæ dicentes: *Ubi est promissio adventus ejus?* 2. Petr. 3. v. 4. qui Epicuræã vitæ & moribus manifestè impiis testantur, se non credere vel adventum Christi ad iudicium, vel resurrectionem mortuorum, vel vitam & mortem æternam, idè Augustinus d. 1. rectè monet, non omnes Christianos per has virgines cum lampadibus sponso obviam ire paratas intelligi, sed eos tantum, qui verbis profitentur, se Christi reditum expectare, nec flagitiosis moribus huic professioni contradicunt. *Quinque istæ* (inquit) *et quinque virgines omnes omnino sunt animæ Christianorum, sed non qualescunq; anime, verum tales anime, quæ habent Catholicam fidem & habere videntur bona opera in Ecclesia Dei.* Proinde sicut hæ comites ac sociæ sponse omnes dicuntur virgines, omnes habent lampades & quidem accensas, omnes parant se ad nuptias, omnes expectant sponsum adventum: sic omnes illi, qui per has decem virgines significantur, sunt professione Christiani, sunt baptizati, sunt cives Ecclesiæ, profitentur fidem Catholicam ac reditum Christi ad iudicium & vitam æternam sese expectare asserunt. Atque hæc sunt, in quibus decem istæ virgines omnes conveniunt & inter se sunt æquales. Antequam verò ad earum differentiam & inæqualitatem procedamus, notandum 1. suavissimam esse comparationem, quâ Christus seipsum confert sponso, quod pertinet parallela Scripturæ dicta Esa. 62. vers. 5. Ole. 2. v. 10. Matth. 9. v. 15. Joh. 3. v. 29. Ap. 19. v. 6. &c. Et hic sponsum origine nobilissimus, quia Regis cælestis filius Matth. 22. v. 2. specie formosissimus Psal. 45. v. 3. potentiâ eminentissimus, virtutibus fulgentissimus, amore fidelissimus, cum contrâ sponsa sit ortu despectissima, vultu deterrima, viribus infirmissima, vitiis opertissima, amore languidissima, proinde longè interior est genere, formâ, dignitate, divitiis & virtute. Typus hujus inæqualis conjugii proponitur in Jacobo 7. annis serviente pro Rachele Gen. 29. v. 20. in Mose ducente Æthiopiâ Num. 12. v. 1. in Simone ex Philistæis gentibus exito devotis sponsum querente Jud. 14. v. 3. &c. Confer tract. de Eccl. 8. de conjug. 8. 423 & 424. 2. Quia Christus est animarum nostrarum sponsum, idè nostrum est, vocem ejus audire, amore ipsi adherere, fidem ei servare 2. Corinth. 11. v. 2. ipsi subijci Eph. 5. v. 25. diem nuptiarum, h. e. ad adventum ejus ad iudicium desiderare Apoc. 19. v. 7. c. 22. v. 17. &c. 3. Tota piorum vita nihil aliud est quam præparatio in occursum Domini & sollicita Christi ad iudicium reditum expectatio Psal. 42. v. 2. Rom. 8. v. 32. 2. Cor. 5. v. 8. Philipp. 3. v. 14. Tit. 2. v. 13. &c. Hilarius in h. l. *Primo progressu vitæ hujus officii occurrere in resurrectionem, quæ est à mortuis, præparamur.* 4. Quia virginibus comparamur, idè spiritualis sinceræ fidei virginitas nobis sit commendata 2. Cor. 11. v. 2. August. in Psal. 147. *Paucorum est virginitas in carne, omnium debet esse in corde. Virginitas carnis corpus intactum; virginitas cordis fides incorrupta,* serm. 23. de verb. Domin. *In corpore virginitatem pauci habent, in corde omnes habere debent.* 5. Quia comparamur virginibus lampades accensas gestantibus, idè perpetuò infonet auribus & cordibus nostris exhortatio Christi Matth. 5. v. 16. *Luceat lux vestra*

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda

coram hominibus, ut videant bona opera vestra. Luc. 12. versic. 36. *sint lumbi vestri præcincti & lucerna ardentes.* Lampas ardens est verbum Dei fide in cordibus nostris accensum & gressum dirigens, lampas ardens est fides cum bonis operibus conjuncta; oleum huic lampadi affundendum est Spiritus sancti gratia assiduis precibus impetranda, quâ fidei lux & pietatis studium fovetur, quâ de re paulò post plenius dicetur. 6. Ex eo, quod Christus consuetos Judaicarum nuptiarum ritus ad explicanda cælestis regni mysteria accommodat, colligitur, nec nuptias nec nuptiarum solennitates Deo improbari, modò omnia fiant & ἡμῶν 1. Cor. 14. v. 40. Causas, propter quas Christus toties usus fuerit parabolis, ac propter quas Ecclesia vocetur regnum cælorum, exposuimus in Harm. c. 151. & 153. Restat jam ut differentiam & inæqualitatem decem harum virginum expendamus. Illa consistit in eo 1. quod quinque ex eis fuerint prudentes, 2. quinque autem fatuæ. In textu Græco & Syriaca paraphrasi prudentes fatuis præponuntur, in Latina versione fatuæ prudentibus, sed prior ordo Naturæ & contextui parabolæ magis consentaneus; nam & postea prudentes cum sponso intrant in domum gaudiorum nuptialium, antequam fatuæ intromitti frustra petentes excludantur. Neque verò in genere tantum dicitur, quod quædam ex illis prudentes fuerint, quædam verò fatuæ, sed etiam in specie exponitur, ex quo apparuerit illarum prudentia, harum vero fatuitas, inde 2. altera harum virginum differentia & inæqualitas oritur, quod scilicet, quæ erant fatuæ acceptis lampadibus suis non sumserint secum oleum, ἀνεῖς ἰάλας scilicet ἦσαν pro αἰ ἰάλας. Vulgata versio addit adverbativam sed, verum ea nec in Græco, nec in Syriaco textu habetur. Quod fatuæ lampades suas, non autem oleum secum sumsisse, dicuntur, id accipiendum eo sensu, quod aliquid quidem olei in lampadibus assumerint, (aliàs enim non fuissent accensæ) sed interim oblitæ fuerint in vasis præterea oleum secum assumere, quod lampadi extingui incipienti posset infundi, ut intelligitur ex antithesi. Prudentes verò sumserunt, (aoritus enim secundus ἐλάβον ponitur loco plusquamperfecti) oleum in vasis suis una cum lampadibus. In Græco additur αὐτῶν cum lampadibus suis, quod relativum etiam Syrus expressit. Sensus est, quod fatuæ non prospexerint sibi de sufficiente oleo, nec cogitârunt, fieri posse, ut sponsum moram nectens mediâ demum nocte veniret, sed negligentes fuerint, nec sumserint secum oleum in vasis, quod ellichnio infundere & lucentem lampadis ignem eo fovere possent. Prudentes verò consuluerunt in longitudinem, proinde non contentæ assumere ardentes lampades, assumerunt insuper vascula oleo plena, ex quibus lampadi fomentum suppeditare possent, si contingeret, sponsum (de quo non constabat, quâ horâ venturus esset) moras nectere, ne consumto, quod lampadi primùm inerat, oleo, ac deficiente fomento, eam extingui contingeret, ipsæque hac ratione tempore adventus sponsum imparatæ deprehenderentur, & à gaudiis nuptialibus excluderentur. Fatuæ virgines sibi persuaserant, oleum, quod in lampadibus habebant, sufficiens futurum, donec sponsum veniret, vel certè, si præter opinionem

Zzz 2

spon-

sponsus moras neceteret, temporis aliquod spacium sibi datum iri, quo aliunde oleum comparare & à sociis suis illud impetrare possent. Prudentes verò maturè cogitaverant, incertam esse adventus sponsi horam; fieri posse, ut tertiâ demùm vel quartâ noctis vigiliâ adveniat, idèd præter oleum in lampadibus etiam vascula oleo plena assumenda esse, ut lampadum lumen perpetuo foveri posset, cum adveniente jam sponso aliunde comparandi olei nulla futura sit copia. Hic verò operose disquirunt Interpretes, quid per *virgines prudentes & fatuas*, quid per *lampadem accensam*, quid per *oleum in vasis* intelligendum sit, si ad rem per parabolam significatam accommodatio fieri debeat, obquam Interpretationem diversitatem August. lib. 83. quæstionum q. 59. haud immeritò de difficultate hujus parabolæ conqueritur: *Inter parabolæ, inquit, à Domino dictas solet quærentes multum exercere ista, quæ de decem virginibus posita est. Et multi quidem hinc multa senserunt, quæ non sunt præter fidem, sed quomodo partibus omnibus ejus conveniat expositio, id elaborandum est. Legi etiam in quadam Scriptura ex eorum genere, quæ Apocryphæ nominantur, non quod sit contra Catholicam fidem, sed huic loco mihi minus congruere visa est, consideranti omnes similitudinis partes &c. Decem utique numerus virginum, quarum quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum & malorum discretionem significat. Quæ propter si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis exclusisque commune est? Deinde quid sibi vult numerus in utraque parte quinaris? quid autem significat oleum, mirum videtur. Idem quod sapientes petentibus non communicant, cum & invidere fas non sit eas, quæ ita perfectæ sunt, ut à sponse recipiantur, quo nomine nullo dubitante Dominus Jesus Christus significatur & misericordes esse oporteat ad præstandum ex eo, quod habent, præscribente illà sententiâ ejusdem Domini dicentis. Omni poscanti te tribue. Quid est autem, quod posse dando non sufficere utrisque? Hæc maxime augent quæstionis difficultatem, quanquam & cætera diligenter considerata, ut omnia in unam rationem concurrant, nihilque in unam partem dicatur, quod impediatur aliam, magna cautio adhibenda est. Reperitur hæc totidem verbis ferm. 22. de verb. Domin. Idem Epist. 80. adducens hanc parabolam subjungit: In talibus divinorum eloquiorum obscuritatibus, quibus nostras intelligentias Deo placuit exercere, non solum aliis alio movetur acutius, eorum qui Scripturas sanctas non improbabili tractant, sed etiam quilibet unus illorum aliquando minus, aliquando melius intelligit. Antequam verò ad enumerandas veterum expositiones descendamus, in genere notanda est regula Chrysostomi, quam homil. 65. in Matth. homil. 16. in Epist. Rom. & alibi passim inculcat, videlicet in parabolis non debere nimiam in singulis verbis curâ perangi, sed cum quid per parabolam intendatur, didicerimus, inde utilitate collectâ nihil ulterius anxio conatu esse investigandum. Cum ergo principalis hujus parabolæ scopus sit, vigilanter esse expectandum Christi celestis sponsi adventum, ac semper nos debere esse paratos ad ipsum cum gaudio & honore excipiendum, idèd hac doctrina per parabolam istam præcipuè significata contenti, non debemus nimio opere de singularum etiam minutissimarum*

parium applicatione esse solliciti, quippe quæ interdum præpostera est & à scopo parabolæ aliena, cum quædam tantummodo ad complementum & ornatum parabolæ, non autem ad rem per parabolam significatam pertineant. Sic Cajetanus ex eo, quod quinque virgines dicuntur prudentes, quinque verò fatuæ, perquam absurdè & præpostere colligit, æqualem fore salvandorum & damnandorum numerum, cum hæc divisio non ratione numeri quararii in specie, sed ratione discriminis inter fatuas & prudentes in genere, ad rem per parabolam significatam spectet. Aliàs, si minutias hujusmodi sectari velimus, posset quis ex parabolâ de nuptiis filio Regis paratis inferre, unum duntaxat hominem damnatum iri, cum unus in tanto conviviarum numero non indutus veste nuptiali inveniat, & in tenebras ejiciatur Matt. 22. v. 12. Ex parabolâ sequente de talentis inter servos distributis inferri posset, unicuique duntaxat & quidem eum, qui unicuique talentum acceperat, à gaudio Domini esse excludendum, reliquis omnibus, qui quinque vel duo talenta acceperunt, in illud admittis Matth. 25. v. 26. Luc. 19. v. 22. Absit igitur, ut in parabolis singulas velimus sectari minutias, sed ad scopum principalem unice respiciendum, quæ regula, si probè observetur, de variis veterum interpretationibus rectius fieri potest judicium. Origenes tract. 32. in Matth. *Qui rectè credunt & vivunt, justè assimilantur quinque prudentibus virginibus; qui autem præstentur quidem fidem in Jesum, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque fatuis assimilantur. Et postea: Quamdiu quidem post verbum receptum lucet lumen fidelium coram hominibus, ut videntes opera eorum bona, glorificent Patrem eorum, qui in cælis est, hæc & prudentes sunt & accipientes oleum nutrimentum luminis sui, quod semper infunditur actibus bonis, id est, verbum doctrinæ & vasa animarum suarum ab hoc verbo implentes à doctoribus & traditoribus, qui illud venundant, quod satis sit eis etiam tardante exitu & remorante verbo veniente ad consummationem eorum, ut consummata & extra mundum facta se sinent illuc. Quamvis autem non fuit cura post inchoationem Christianitatis tantam accipere verbi doctrinam, quanta sufficeret eis durare usque ad finem, negligentes circa susceptionem doctrinæ, quæ consortat fidem & bonorum actuum lumen illuminat. Quid autem sic consortat, sicut moralis sermo, quod oleum luminis appellatur? hæc fatuæ sunt & acceperunt lampades in primis quidem accensas sed ad tantum iter obviam exeundi sponso oleum non acceperunt. Macarius hom. 4. p. 41. *Quinque prudentes ac sobriæ virgines alacriter accerentes hospitem Naturæ suæ accepto in vasibus cordis sui oleo, hoc est, supernâ gratiâ Spiritus potuerunt ingredi unâ cum sponso in celestem thalamum. Reliquæ verò fatuæ in sua ipsius Naturâ permanentes, nec vigilantur, nec operam dederunt, ut oleum exultationis acciperent in vasibus suis, sed velut in carne adhuc essent, per negligentiam, somnolentiam, socordiam, ignorantiam, aut etiam opinionem justitiæ obdormierunt, propterea etiam thalamo regni exclusæ sunt, cum placere non possent celesti sponso. Vinculo enim mundi terreno quodam amore detentæ omnem dilectionem & amorem suum celesti sponso non obtulerunt, neque oleum acceperunt &c.* Quing.*

Quinque enim anima rationalis sensus accepta superna gratia & sanctificatione Spiritus revera sunt prudentes virgines, quippe quae acceperunt supernam sapientiam gratia.

Si vero in sola Natura sua persistant, fatuae deprehenduntur & filiae mundi esse demonstrantur, non enim exierunt Spiritum mundi, quamvis exteriori sermone, opinione ac forma se esse sponsas sponsum, falso sibi persuadeant.

Hilarius can. 27. in Matth. De die magno Domini omnis est sermo, quo occulta humanarum cogitationum divini iudicii cognitione procedunt, & vera expectati Dei fides non ambiguae spei meritum consequitur.

Absoluted enim in quinque prudentibus, & in quinque fatuis fidelium atque infidelium est constituta divisio &c. Lampades animarum splendentium lumen est, quae Sacramento Baptismi splenderunt. Oleum boni operis est fructus.

Vasa humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bonae conscientiae recondendus est &c. Prudentes virgines haesunt, quae opportunum in corporibus operandi tempus amplexe, in primum se occursum adventus Domini preparaverint.

Fatuae autem, quae dissolutae ac negligentes, praesentium tantum sollicitudinem habuerint & immemores promissorum Dei, in nullam se spem resurrectionis extenderint. Ambrosius serm. 14. in Psalm. 118. Mitte oleum, ne deficiat tibi lumen lucerne.

Et oleum non olea terrestris, sed illud oleum misericordiae caelestis gratiae, quo ungebantur Prophetae. Oleum tuum humilitas est, quo cervicis nostrae dura mollescent.

Oleum tuum misericordia tua est, quo etiam collisa scopulis peccatorum soventur corpora &c. hoc oleum lucet in tenebris, si opera nostra luceant coram hominibus &c. Denique quibus oleum non defuit, nec lumen fidei defecit, sed cum lampadibus in locum nuptiarum introire meruerunt.

Quae autem in vasis suis oleum non tulerunt, hoc est, non habuerunt fidem, non prudentiam, non misericordiam animae in hoc constitutae corpore, merito infidelitatis exclusae sunt &c.

Habeto fidem, habeto prudentiam, ut semper habeas in vasis tuis oleum misericordiae, devotionis gratiam, quia prudentes acceperunt oleum in vasis cum lampadibus suis.

Hieronymus in c. 25. Matth. Oleum habent virgines, quae iuxta fidem & operibus adornantur. Non habent oleum, quae videntur simili quidem fide Dominum confiteri, sed virtutum operum negligunt.

Possumus quinque virgines sapientes & fatuas quinque sensus interpretari, quorum alii festinant ad caelestia & superna desiderant: alii terrenis fecibus inhiantes, fomenta non habent veritatis, quibus sua corda illuminent.

Idem lib. 2. adv. Jovin. Decem virgines non totius generis humani, sed sollicitorum & pigrorum exempla sunt, quorum alteri semper Domini praesolantur adventum, alteri somno & inertia se dantes futurum iudicium non putant.

Chrysost. homil. 79. in Matth. Lampades hic ipsius virginum nominat donum & munditiam sanctitatis, oleum vero benignitatem, eleemosynam, patrocinium indigentium &c.

Ostendit igitur, quia scilicet a universa virginitas habuerit & caruerit eleemosyna fructibus, cum fornicatoribus ejicitur, neque id immerito, fornicator enim corporum, ista vero pecuniarum cupiditate vincuntur, non est autem corporis & pecuniae par cupiditas, sed acrior multo atque vehementior corporum est &c.

Idcirco & fatuas appellavit, quoniam difficilioribus superatis facilliora perdidit. Eod. modo exponit Isid. lib. 1. Epist. 286. Chrysostomum, ut solent, sequuntur Theophylactus Euthymius. Autor imperi. ope-

Harm. Tom. II. vel Gerbard. Cont. pars secunda

ris homil. 52. in Matth.

Quidam putant hic virgines dici, de quibus Apostolus loquitur, ut sint sanctae corpore & Spiritu.

Et sapiens quidem virgo est, quae & corpore & animo virgo est, ut neque habeat virum, neque habere desideret &c.

Quae non est nupta, voluntatem tamen nubendi habuit, corpore quidem virgo est, animo autem nupta, quia corpus opere sordidatur, animus autem voluntate &c.

Corpus fornicatur, quando cum viro conjungitur, anima autem, quando Diaboli voluntatibus sociatur.

Quae haec non servat fatua est ipsa virgo. Et vero fatua est, quae per solam virginum aemulationem putat se Deo placere.

Propterea frequenter fit, ut nupta, si alius non peccet, melior sit, quam illa, quae virgo est, & alius peccat, quoniam si illa non peccat, quae nupta est, corpore quidem nupta est, animo autem virgo est.

Quae autem alius peccat & virgo est, corpore quidem virgo est, animo autem fornicaria. Et postea: Nunc veniamus ad spiritualem hujus parabolae narrationem.

Decem virgines omnes homines dicit, quorum vita decem sensibus sustentatur, quinque carnalibus & quinque spiritualibus.

Omnium enim hominum duae sunt partes. Aut enim peccatores sunt, aut iusti. Peccatores, qui secundum carnales ambulant sensus; iusti, qui secundum spirituales &c.

Fatuae virgines sunt, qui fidem quidem Christi integram habent, opera autem justitiae non habent. Iudei & haeretici neque fidem habent, neque opera possunt habere.

Sed est operum oleum habent, nihil eis prodest, quia lampades fidei non habent, quas accendant &c.

Lampas dicitur fides, quia sicut lampas illuminat domum, in qua est, sic fides illuminat animam, cuius est.

Accenditur autem haec lampas igne verbi divini. Verbum enim Dei ignis est &c.

Accipiunt autem homines hanc lampadem, quando venientes ad Christum per Sacerdotes accipiunt sibi traditam veritatis doctrinam &c.

Oleum autem doctrinae Sacerdotum aut caterarum Scripturarum, quoniam sicut lucerna, nisi ministraveris ei oleum, extinguetur: sic verbum fidei nostrae, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis aut meditationibus Scripturarum, extinguitur & non satis illuminat animam.

Aut oleum dicitur opus misericordiae, quia sicut oleum lumen lampadis fovet, sic opera bona ministrant confidentiam fidei & vigorem accendant &c.

Sicut lampas non ex oleo accenditur, sed ab igne, per oleum tamen nutritur, & nisi oleum ei ministraverit, extinguitur: sic & fides non ex operibus nutritur vel accenditur, sed ex verbo Dei, tamen per bona opera nutritur & nisi ministraveris ei bona opera, deficit &c.

Verè fatui sunt omnes homines, qui aut solum existimant sibi posse sufficere ad salutem, qui credunt in Christum & Christiani dicuntur & non festinant semetipsos bonis operibus commendare, nec audiunt Jacobum dicentem, quia fides sine operibus mortua est.

August. Epist. 120. c. 33. Lampades sunt bona opera, maximeque ad misericordiam pertinentia & ipsa, quae etiam coram hominibus lucet, laudabilis conversatio.

Sed magni interest, quae mentis intentione fiat, idcirco dicit alias sapientes, stultas alias.

Sed hinc eas discernit, quod stultae non sumserunt oleum secum, sapientes autem acceperunt oleum secum in vasis suis, hoc est, in cordibus suis, ut sit ipsa participatio intimi ac superni boni &c.

Cujus boni aliquantulum participati & plenius perfectiusque participandi intentione, qui bene operatur & laudabiliter etiam in conspectu hominum conversatur, habet oleum secum, quo bona opera ejus etiam

in conspectu hominum lucentia non extinguantur, quia non in eo caritas refrigescit abundante iniquitate, sed perseverat usque in finem. Hoc oleum stultæ virgines non habent secum, quoniam sibi tribuendo, si quid boni operis faciunt, necesse est insentur superbiâ & propter hoc vitium sic laude delectentur humanâ, ut ejus gaudia, si quid boni agunt, fervere & lucere videantur. Idem lib. 83. quæstion. q. 59. Videntur mihi quinque virgines significare quinque partitam continentiam à carnis illecebris. Continentus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi, sed quia ista continentia partim coram Deo fit, ut illi placeatur in interiori gaudio conscientie, partim coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur, quinque dicuntur sapientes & quinque stultæ, utraque tamen virgines, quia utraque continentia, quamvis diverso fomite gaudeant. Lampades autem sunt, quia manibus gestantur opera, quæ secundum continentiam istam fiunt &c. Multi, quamvis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudium tamen non habent, dum continentur non vivunt nisi in laudibus hominum, ergo non habent oleum secum, ipsam enim letitiam oleo significari arbitror. Repetuntur hæc totidem verbis serm. 22. de verb. Domini. Idem in Psalm. 147. In numero illo quinario millia intelliguntur non feminarum tantum; sed & virorum, quia sexus, id est, Ecclesia dicitur virgo. Quinque virgines prudentes significant omnes animas intraturas in regnum Dei, quæ per quinque sensuum januas non admiserint corruptionem. Fatue sunt, quæ non in conscientia gerunt bonum suum coram oculo Dei, sed placere inde volunt hominibus. Idem serm. 23. de verbo Domini: Caritas oleo significatur, omnibus enim humoribus oleum supereminet &c. Virgines stultæ, quæ non portaverunt oleum secum, abstinentiâ suâ, quâ virgines appellantur & bonis operibus suis, quando lampades ferre videntur, hominibus volunt placere, & ideo omnia ista laudabilia faciunt, oleum secum non portant. Tu ergo tecum porta, intus porta. Ubi videt Dominus, ibi porta testimonium conscientie tuæ. Qui autem ambulat ad testimonium alienum, oleum non portat secum. Sic ideo abstinentes ab illicitis & facis bona opera, ut ab hominibus lauderis, non est intus oleum. Sapientium lampades ardent de oleo aeterno, de conscientie securitate, de interiore gloria, de intima caritate; fatuarum lampades ardebant, quia non deerant laudes hominum. Gregorius homil. 12. in Evang. Quia in Ecclesia mali cum bonis & reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus & fatuis esse perhibetur &c. Per oleum nitor gloria designatur, vascula autem sunt nostra corda, in quibus servimus cuncta, quæ cogitamus. Prudentes ergo oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ. Fatuæ autem virgines oleum secum non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum querunt. Omnes lampades habent; sed omnes oleum non habent, quia plerumque bona in se opera cum electis & reprobi ostendunt, sed soli ad sponsum cum oleo veniunt, qui de his, quæ foris egerunt, intus gloriam requirunt, unde per Psalmistam quoque de sancta electorum Ecclesia dicitur. Omnis gloria ejus filie Regis ab intus. Similia occurrunt lib. 9. Epist. 39. &

apud Bedam in cap. 25. Matth. Lyranus in hoc loco interpretatur de contemplativis & religiosis, quos inter qui gloriam Dei spectent in operibus & æternam salutem, sint prudentes, qui verò propriam respiciant gloriam & quantum proprium attendant, fatui dicuntur. De his ac similibus veterum recentiorum Interpretationibus quid sit statuendum, sequentia docere poterunt theorematum. 1. Talis instituenda est cujusque parabola explicatio, quæ nihil contineat fidei analogiæ repugnans. Hanc regulam tradit Apostolus Rom. 12. v. 6. quæ suo loco pluribus confirmatur. Ergo probari nequit interpretatio illa Pontificiorum, quod sumere oleum in lampadibus ac vasis sit tantam bonorum operum copiam & veluti thesaurum quendam recondere, qui in die judicii ad meritum vitæ æternæ unicuique sufficere possit. Scriptura enim docet, vitam æternam non esse operum nostrorum meritum, sed gratuitum Dei in Christo donum Rom. 6. v. 23. Si autem ex gratia, jam non ex operibus Rom. 11. v. 6. Pari ratione probari nequit, eorundem interpretatio, quæ lampadibus lucentibus fidem, oleo lampadibus infundendo caritatem & bona opera eo sensu conferunt, quod fides caritate & bonis operibus formetur, & quasi animetur, quod bona opera unâ cum fide ad salutem efficiendam, imò promerendam concurrant, quod vera fides possit esse absque operibus &c. Scriptura enim docet caritatem & bona opera non esse formam, sed effectum fidei Galat. 5. vers. 6. Jacob. 2. v. 18. beatificationem esse illius hominis, cui Deus justitiam imputat sine operibus Rom. 4. v. 6. veram fidem & bona opera esse nexu individo conjuncta I. Joh. 5. v. 4. Nec illud simpliciter probari potest, quod per virgines fatuas à cœlestibus nuptiis excludendas intelliguntur illa, quæ post virginittatis votum incautè emissum volunt nubere, vel etiam in remedium ultionum nubant, quia Scriptura docet, melius esse nubere, quam uri I. Cor. 7. v. 9. ac nemini per coactum coelibatum esse laqueum injiciendum v. 55. &c. 2. Per virgines fatuas non possunt juxta ductum hujus parabola intelligi infideles, hoc est, illi, qui sunt extra Ecclesiam. Ratio est, quia fatuæ hæc virgines annumerantur decem illis virginibus, quæ sumtis lampadibus suis exierunt in occursum sponsi, quod de fidei virginittate & adventus Domini expectatione verbis ad minimum declarata accipiendum esse, superius ostendimus. Id verò non competit infidelibus, qui nec fidem Catholicam, nec spem adventus Domini profitentur. Præterea Christus notanter dicit, regnum cœlorum, hoc est, Ecclesia assimilabitur decem virginibus. Quotquot ergo non pertinent ad Ecclesiam, saltem ratione externæ societatis non possunt fatuarum istarum virginum nomine censer. Certum quidem est, infideles, qui sunt extra Ecclesiam, à nuptiis cœlestibus excludendos esse, sed ex eo nondum inferri potest, illos propriè & directè per virgines fatuas in hac parabola significari quia non sufficit unum descriptionis membrum eis convenire, nisi etiam reliqua conveniant. 3. Nec possunt per virgines fatuas oleum in vasis secum ferre oblitus intelligi manifestè impij, contemtores Epicuræ eorum

rum omnium, quæ de Christi adventu & vitæ aeterna prædicantur. Fatuæ enim virgines gestant *lampades accensas*, atque eo ipso profitentur se expectare sponsi adventum. At homines manifestè impii & emperctæ, quamvis externa societate Ecclesiæ admixti sint, tamen ipsâ vitâ clamant se non credere nec expectare Christi ad iudicium reditum. Præterea Christus non dicit, quinque ex his virginibus erant malitiosæ ac flagitiosæ, sed *quing, erant fatuæ*. Ergo non agitur hic de manifestè impiis ac perveris in Ecclesiâ, sed de stultis & negligentibus. 4. Per lampades accensas minùs commodè intelligitur *donum virginittis*, quia illud non est commune omnibus, qui sunt in Ecclesiâ, quippe *qua constat ex virginibus & pueris & maritatis feminis & uxoris viris*, ut loquitur Aug. serm. 23. de verb. Dom. Jam verò omnibus decem virginibus commune est, quod lampades habent accensas, Ergo tale quid per lampades intelligendum, quod conveniat omnibus, qui sunt in Externa Ecclesiæ societate. In sensu accommodatio parabolam ad virgines transferri posse concedimus, modo scil. eo, quod quædam earum sint *prudentes*, quæ cum virginitate corporis virginittatem Spiritus conjungunt, ac sunt *sanctæ corpore & Spiritu* 1. Cor. 7. v. 34. quædam verò *fatuæ*, quæ confidunt corporis in virginittate, putant per solam corporis virginittatem se Deo placere, atque interim animo sunt fornicariæ, vel certè verâ Spiritus virginittate destitutæ. Pulchrè Isidorus Pelusiotâ lib. 1. Epist. 268. *Si quis virginittatem præstat atq; hoc nomine gloriatur, à majore virtute, hoc est, ab humilitate aberrat. Neq; enim scripsum est, qui virginittatem colit, sed qui seipsum humiliat, exaltabitur*. Sed negamus, hunc esse proprium & principalem parabolæ scopum. Idem iudicium esto de illa interpretatione, quæ per *prudentes virgines* intelliguntur eæ, quæ cum virginittate conjungunt opera misericordiæ & eleemosynarum largitionem, per *fatuas* verò illæ, quæ cum virginittate sunt, misericordes tamen non sunt. 5. Statuimus ergo primarium ac principalem parabolæ scopum esse eam, quod Christus ea perstringere voluerit hypocrisis eorum, qui *speciem quandam pietatis habent exterius*, sed interius vera fide & serio pietatis studio sunt destituti 2. Tim. 3. v. 5. Per decem ergo virgines significantur omnes, qui sunt in externa Ecclesiæ societate, qui sunt baptizati, profitentur fidem Christianam, utuntur iisdem Sacramentis & adventum Domini sese expectare asserunt, hoc enim est *sumtis lampadibus exire in occursum sponso*. Inter has virgines quædam sunt *prudentes*, per quas significantur verâ fide & serio pietatis studio præditi, qui cum externa morum honestate salvificam in Christum fidem & interiorem iustitiam conjungunt, quorum fides cum sit vera, per caritatem, & bona opera est efficax, qui seriò adventum Domini expectant, & ad eum debitò modo sese præparant; quædam vero sunt *fatuæ*, per quas significantur hypocritæ, qui fidem & pietatem exterius quidem profitentur, interim interius vera fide & serio pietatis studio destituuntur, qui externis operibus in oculos hominum incurrentibus contenti, de interiore iustitia non sunt solliciti, quorum opera non foventur vera fide, un-

Harm. Tom. II. vel Gerb. Contin. pars secunda.

de tandem extinguuntur, nec possunt Deo placere, qui nudis verbis de fide gloriantur, per caritatem verò & opera eam minimè demonstrant, qui parati non sunt ad sponsum cœlestem cum gaudio excipiendum &c. Probatur hæc interpretatio, primò *ex ipsius parabolæ verbis*. Per *lampades* enim manifestum est aliquid significari, quod foris ostenditur, sicut accensæ lampades testabantur, virgines hæc ire in occursum sponso; per *oleum in vasis* manifestum est aliquid significari, quod intus latet & ab hominum oculis est remotum, sicut extremo aspectu dignosci non poterat, quamnam harum virginum oleum in vasis suis secum sumserant, quamnam verò illud secum sumere neglexerant. Ergo per lampades accensas externa oris professio & exterior pietatis species; per oleum verò in vasis interior cordis iustitia, vera fides, sincera caritas, vigilantia, prudentia, quæ solius Dei, non autem hominum oculis obvia, intelliguntur. Sic quod hæc virgines, quæ oleum in vasis secum sumserant, dicuntur *prudentes*, reliquæ, quæ illud neglexerant, dicuntur *fatuæ*, illud itidem probat hanc interpretationem. Fides enim est spiritualis illa *φρόνησις*, quæ nos Deo commendat Luc. 1. v. 17. Eph. 1. v. 8. per quam comparatur *viro prudenti, qui edificat domum suam super petram* Matth. 7. v. 24. quia fide innitimur unicæ salutis petræ Christo & solidum pietatis fundamentum collocamus. Fide amplectimur Christum, qui *factus est nobis à Deo sapientia* 1. Cor. 4. v. 30. ac proinde fide reddimur *φρονιμοὶ ἐν ζωῆς* 1. Cor. 4. v. 10. Contra verò hypocrytæ verè *fatui* sunt, quia externa pietatis specie contenti, interiore verò iustitia ac verâ fide vacui *edificant super arenam* Matth. 7. v. 26. unde Christus toties Pharisæos & Scribas hypocritas vocat *καὶ φαρῖσαίους & γραμματέας φαρῖσαι* Matt. 23. v. 17. & 19. Prudentiæ est, rebus suis cautè prospicere, providere media ad finem consequendum necessaria, nihil eorum prætermittere, quæ usui esse possint. Tales erant hæc virgines prudentes, quæ una cum lampadibus etiam oleum in vasis suis acceperant, prudenter enim cogitabant fieri posse, ut sponsum moram necerent, providendum igitur maturè esse de sufficiente oleo, ne in adventu sponsi lampades extinguantur, sicque à consortio gaudiorum nuptialium excludantur. Tales etiam sunt omnes verè pii, qui salutis suæ verè & ex animo prospiciunt, ornati vera fide, instructi internis Spiritus sancti charismati, semper parati ad occurrendum sponso, internam iustitiam primò omnium quarunt, ut non solum coram hominibus *lucant*, sed etiam coram DEO *ardeant* Johann. 5. versic. 35. Contra verò fatuitatis est, rerum suarum curam negligere, non prospicere de mediis ad finem necessariis, non præparare se ad futuros casus &c. Tales erant hæc virgines fatuæ, quæ lampades quidem sumserant, sed oleum in vasis secum sumere neglexerant, magna profectò fatuitas erat, quod non cogitabant de oleo ad fovendas lampades necessario; magna fatuitas, quod non veniebat illis in mentem, fieri posse, ut tardaret sponsum, sicque oleum in lampadibus deficeret; magna fatuitas, quod sperabant se aliunde olei communicationem impetraturas, si in adventu sponsi lampades deficere inciperent; magna fatui-

Zzz 4

tas,

tas, quod non cogitabant se à gaudiis nuptiarum excludendas, si lampades extingueruntur. Tales sunt omnes hypocritæ, non prospiciunt sibi de mediis ad salutem necessariis, ostendunt splendorem externæ sanctitatis in actionibus externis, veræ fidei & interioris pietatis oleo interim destitui, sine qua vera fide impossibile est Deo placere Hebr. 11. vers. 6. & vitæ æternæ participem fieri. Verè ergo fatui sunt, quia finem desiderant & media negligunt; curant, ut hominibus iusti videantur, non ut verè coram Deo sint iusti. Verè fatui, quia Deum fallere cogitant, non memores illius, quod homo videat ea quæ apparent, Dominus autem cor intuetur 1. Sam. 16. vers. 7. Verè fatui, quia gloriam ab hominibus accipiunt, & gloriam quæ à solo Deo est, non querunt. Joh. 5. v. 44. Verè fatui, quia malunt esse per hypocritam sepulchra dealbata, quam per veram fidem & sinceram pietatem templa Deo consecrata & interius ornata. Verè fatui, quia seculi curis & vanitatibus dediti non parant sese seriò ad Dominicum adventum, sed presente demum sponso de oleo veræ fidei pietatis sunt solliciti. Considerari etiam potest illud, quod ante adventum sponsi non apparet discrimen inter virgines fatuas & prudentes, sed in sponsi adventu demum apparet, quod sint valdè dispares. Hoc itidem convenit nostræ interpretationi. In hac vita non potest sciri, quinam sint verè fideles & pii, quinam verò hypocritæ, cum externis sanctitatis operibus etiam hypocritæ fulgeant & interdum magis fulgeant, quam verè pii, de quibus dicitur Psalm. 45. v. 14. *Omnis gloria filie Regis est intus.* Sed dies Domini verè fideles ab hypocritis, sicut oves ab hædis separabit. Secundò ex epiphonemate parabole, *Vigilate igitur, quia nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis venit.* Ex eo enim intelligitur, prudentes virgines commendari ob vigilantiam, fatuas taxari ob defectum vigilantia. Vigilantia autem illa est effectus veræ fidei, qui enim verè & ex animo credit, Christum rediturum ad iudicium & retributurum unicuique secundum opera, is summo, quo potest, studio, ad ipsius adventum sese præparat vera fide. & sancta conversatione. 2. Pet. 3. v. 11. & 12. contra verò qui externa & hypocritica pietatis specie contentus ac vera fide vacuus est, nec vigilanter adventum Christi expectat, nec ad eum sese dignè præparat. Autor imperf. operis homil. 52. in Matth. *Non potest credere Deo, nisi qui facit aliquid dignum Deo, inde est, quod peccatores non credunt Deo, sive cum de gloria sanctorum, quis eis loquatur, sive de pœna peccatorum, & dum non credunt futurum esse quod dicitur, neque de bono futuro delectantur, neque de malo terrentur.* Tertio ex collatione aliorum Scripture locorum. Opera externa conferuntur luci in oculos hominum incurrenti Matth. 5. v. 26. *Luceat lux vestra, ut videant bona opera vestra.* Quemadmodum verò lux requirit fomentum aliquod, quo foveatur ac nutriatur; sic fides est radix, mater & fomentum bonorum operum, absque qua opera, quantumvis coram hominibus splendide fulgeant, citò extinguuntur, h. e. non placent Deo nec in ipsius iudicio consistere possunt. Sicut oleum fovet ac alit lampadem, ut luceat, sic fides accendit & fovet in cordibus spirituales lucem iustitiæ, lætitiæ, consolationis & vitæ, Lampas ardens est lu-

cerna verbi 2. Pet. 1. v. 19. fides ab unctione Spiritus originem trahens. 1. Joh. 2. v. 27. amplectitur lumen verbi & radios bonorum operum spargit. Opera externa sine fide sunt instar radiorum sine luce. Sicut sponso veniens invenit multas virgines fatuas non habentes oleum in vasis: sic Luc. 18. v. 7. inquit Christus: *Verumtamen Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* 6. Ab hac interpretatione nequam discedit illorum sententia, qui per lampadem lucentem fidem; per oleum verò opera misericordiæ & caritatem intelligunt, cum sequenti processus iudicarii descriptione opera misericordiæ tanquam veræ fidei indicia & effecta commendentur, ac sine caritate & bonis operibus fides dicitur mortua. 1. Cor. 13. 2. Jac. 2. v. 26. cumque & præcedentium & sequentis parabole scopus vigilantiam & pietatis studium nobis commendet. Quemadmodum in præced. parab. *prudens servus* dicitur, qui facit voluntatem Domini; sic in hac *prudentes virgines* dicuntur, qui non tantum dicunt *Domine, Domine*, quod fatuis virginibus postea tribuitur, sed *faciunt voluntatem Patris cælestis* Matth. 7. v. 21. qui *probant, quæ sit bona Dei voluntas* Ro. 12. v. 2. Illi igitur, qui hanc explanationem sequuntur, nomine fidei non intelligunt veram & salvificam fidem, (quæ tam non potest à caritate & studio bonorum operum separari, quam radii à luce) sed externam fidei possessionem testimonio & effectu bonorum operum destitutam, unde disertè dicunt de fatuis, quod *videantur simili fide Dominum consistere*, quod *profiteantur fidem*, cum interim sint hypocritæ veræ & salvificæ fide destituti & c. 7. Nec ablutit ab hac interpretatione sententia eorum, qui per *oleum* intelligunt Spiritus sancti gratiam sive gratiosam ejus inhabitationem ac dona gratuita oleo & unctioni in Scripturis comparari solita Psalm. 45. v. 8. 1. Joh. 2. v. 27. & c. quia hypocritæ ut veræ fide, ita quoque gratiosa Spiritus sancti inhabitatione sunt destituti, nec procedunt ipsorum opera ex Spiritu, sed ex carne. 8. Potest etiam ad hanc interpretationem accommodari ac reduci sententia illorum, qui per *virgines fatuas non habentes oleum in vasis* intelligunt eos, qui in operibus suis hominum laudem quarunt, cum in vasis, h. e. in cordibus suis destituti sint oleo, h. e. testimonio bonæ conscientia, quia proprium hypocritarum est *omnia sua opera facere, ut conspiciantur coram hominibus* Matth. 6. v. 1. cap. 23. v. 5. cum contra verè pii ac fideles se & opera sua Deo probare studeant, interno bonæ conscientia testimonio contenti, etiam si nullus hominum ipsos commendet. 1. Cor. 4. v. 3. 9. Denique quamvis primariò ac principaliter hæc parabola opposita sit fidei hypocriticae tamen secundariò ac minus principaliter etiam opponitur fidei *προσωρισπο* sive temporariae. Virgines fatuæ initio habent lampades lucentes, sed postea eadem ob defectum olei extinguuntur: sic in Ecclesia multi sunt *προσωρισποι*, qui primò quidem veram fidem habent, sed temporariam, vel quod ventis tribulationum & persecutionum hanc fidei lampadem extingui patiantur Matth. 13. vers. 21. Marc. 4. vers. 17. Luc. 8. v. 13. vel quia in carnalis securitatis somnum incidunt, sicut de fatuis virginibus dicitur, quod *dormierint*, ac præ negligentia fidei lucem oleo, hoc est, meditatione verbi & divinorum beneficiorum ac piis precibus fovere, adeoque donum Dei

Dei *ἀναλωσθησὶν* 2. Tim. 1. vers. 16. desistunt, inde in medio iunere fidei lampas in ipsis extinguitur. Apparet igitur ex hoc loco *ῥ* in externo Ecclesie cœtu verè pios & hypocritas invicem esse permixtos, sicut in uno eodemque agro inveniuntur simul *trititicum* & *Zizania* Matth. 13. v. 25. in una eademque sarena *pisces boni ac mali* vers. 48. Gregor. homil. 38. in Evang. *quousq; hic vivimus*, necesse est, ut vitam presentis seculi permixti peragamus, tunc autem discernimus, cum pervenerimus. Boni enim soli nusquam sunt nisi in celo, & mali soli nusquam sunt nisi in inferno, hæc autem vita, quæ inter cælum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium civis communiter recipit. 2. Quamvis verò boni malis loco sunt permixti; tamen animo ac studiis invicem sunt divisi, sicut hic omnes virgines lampades gestant, quædam tamen earum sunt prudentes, quædam verò fatuæ. 3. Vera prudentia est in fide vera & pietate sincera; fatuitas in hypocritis & impietate, unde Scriptura hypocritas & impios passim vocat *stultos* Deut. 32. vers. 6. Psal. 91. vers. 7. Prov. 1. vers. 7. &c. Jerem. 4. v. 22. Extremæ stoliditatis est, de vita brevi duratura sollicitum esse, & ea, quæ ad futuram & æternam vitam necessaria, negligere; laudes hominum querere, & gloriam apud Deum negligere; exterioriorem pietatis speciem sectari, interioriorem verò animæ culturam posthabere &c. 4. Illi coram Deo judicantur prudentes, non qui in negotiis hujus seculi sunt astuti Luc. 16. vers. 8. *τὰ ἐπίγεια φρονήσῃς* Phil. 3. vers. 19. *τὰ τῆς σαρκὸς φρονήσῃς* Roman. 8. vers. 5, sed qui ad æternitatem suâ desideria & studia extendunt & adventum cœlestis sponsi vigilantè expectant. Qui oleo lampades suas fovent, hoc est, qui divina beneficia piè meditantur, illi redduntur verè sapientes. 5. Verè piorum & prudentum est, spirituale sectari virginitatem, quæ consistit in fide vera, caritate sincera, conscientia bona, pietate non ficta; 2. Corinth. 11. vers. 2. lampades accensas gerere, hoc est, ad sponsum cœlestem cum gaudio excipiendum paratos esse, ac oleum in vasis secum ferre, hoc est, lampadem sanctæ vitæ oleo fidei, ac lampadem fidei meditatione verbi cœlestis nutrire & fovere, ne extingatur. 6. Nisi fidei oleum ardeat in corde, lampadum lux facilè extinguitur in opere; ac nisi fidei flammula per Spiritum S. in corde accensa continua verbi meditatione foveatur, ipsa tandem extinguitur. 7. Nec hypocritica nec *πρὸς κατὰ* fides in cœlestium nuptiarum gaudia nos introducet, sed fides vera & perseverans Matth. 24. vers. 13. Apoc. 2. vers. 10. &c. Huic ergo veræ & perseverantis fidei lampadi accendendæ, fovendæ, nutriendæ, augendæ, exsuscitandæ &c. omne nostrum in hac vita inservire debet studium. Exod. 27. vers. 20. jubebantur Israëlita *oleum olivarum purissimum* eligere, quod lampadibus septem in aureo candelabro politis desuper infusum accendebatur & totum collustrabat tabernaculum. Quod si & nos cupimus esse *luminaria* in tabernaculo Ecclesie *lucentia* Philip. 3. v. 15. necesse est, ut oleum verbi, oleum fidei, & oleum Spiritus sancti, quod Christus sub crucistorculari prefusus nobis promeruit, in nobis locum habeat. Ifidorus in cap. 27. Exod. *Oleum, quod de arboribus oli-*

varum sumendum Dominus præcipit, gratiam Spiritus sancti ostendit, habentem in se pacem & misericordiam per Salvatoris adventum, unde in cordibus nostris lumen veritatis accenditur. Zach. 4. v. 2. videt Propheta candelabrum aureum totum & phiala erat in summitate ejus & septem lucernæ ejus erant super eam & singule lucernæ habebant singula vascula, quibus oleum infundi poterat in lucernas, quæ erant in summitate illius. v. 3. & duæ olive erant juxta illud, una à dextris phiala & altera à sinistris. Ejusmodi candelabrum sit cor nostrum, quod multas habeat lucernas & magnam lucis copiam, fulgeat luce fidei, caritatis & devotionis. Non tamen desint vascula, ex quibus oleum infundatur & lucernarum lumen foveatur, h. e. meditatione verbi & divinorum beneficiorum, consolatione Spiritus &c. fidei lumen accendatur. Duæ olive sunt typus omnium fidelium Ecclesie doctorum Apoc. 11. v. 4. à quibus oleum verbi, quod est fidei fomentum, petendum. Hi sunt, de quibus virgines prudentes dicunt ad fatuas: *ite advententes, & emite vobis oleum.* De Johanne Baptista dicit Christus Johan. 5. v. 35. quod fuerit *lucerna non solum luens, sed etiam ardens*; non solum luxit exemplo sanctæ conversationis, sed etiam arsit fervore intimæ devotionis; non tantum in lampade, sed etiam in vase oleum habuit, quia qualem se præstitit in opere, talis etiam fuit in orde. Quod si cupimus esse *amici cœlestis sponsi*, quo nomine seipsum appellat Baptista Johan. 3. v. 29. requiritur, ut & nos simus *lucernæ non solum lucentes, sed etiam ardentis*; si cupimus censeri inter virgines prudentes, requiritur, ut oleum non solum accensum geramus in lampadibus, sed etiam in cordium vasculis illud reconditum habeamus. Hæc enim omnia ad unum eundemque scopum pertinent. Tertia denique inter virgines fatuas & prudentes differentia in eo consistit, quod *tardante sponso prudentes quidem dormitaverint, fatuæ verò dormierint.* Plerique hoc accipiunt *conjunctivæ*; sensu eo, quod omnes hæc decem virgines non solum dormitaverint, sed etiam dormierint, hoc est, quod ex oculorum gravedine primò in somnum proclives fuerint, postea etiam perfectum somnum dormierint, ut sic particula Universalis *πᾶσαι ἀπὸ κοινοῦ* repetatur etiam in posteriore membro *omnes dormitaverunt & omnes dormierunt.* Sed ex scopo parabolæ apparet, rectius accipi *distributivè* quod prudentes virgines *dormitaverint*, fatuæ verò *dormierint.* Quia enim scopus parabolæ eò directus est, quod Christus per eam ad vigilantiam nos exhortari voluerit, ideò non satis convenit, etiam prudentibus virginibus ad imitandum nobis propositis somnum tribuere, cum Marc. 13. v. 36. Christus summopere cavendum esse doceat, *ne inveniat nos in die judicii *καθεύδοντας*.* Particula igitur Universalis non pertinet ad verbum posterius *dormierunt*, sed duntaxat ad prius *dormitaverunt*, ut sit sensus, omnes decem virgines dormitaverunt, sed quædam ex illis, videlicet fatuæ, dormierunt, ex dormitatione in somnum incidunt; quædam verò earum, videlicet prudentes dormitationi repugnarunt, ne ex ea in somnum inciderent, vel quod eodem redit, omnes scilicet prudentes dormitaverunt, reliquæ vero videlicet fatuæ, insuper etiam dormierunt. Præteritū *ἐν ἑσπέρῃ* de-

scen-

scenditã verbo *υπαικειν*, quod factum est ex verbo *υπαικειν*, ut Eufthadius monet. Significat autem propriè *dormitare capite nutante, oculis somno gravatis connivere, ad somnum proclivem esse* *ἵπνευεν κατὰ τὴν κεφαλὴν καὶ τὴν ὀφθαλμοὺς ἐκ τῆς ὑπνῆς κατὰ φρονίαν.* Latini vertunt etiam per *nielare*, quod contingere solet, quando post diurnam vigiliam oculi somno prægravati connivent & modò in levem somnum incidunt capite depresso, modo somnum iterum excutiunt erecto; quando Natura ad somnum prona, sed ratio vigilandum esse ob certam aliquam causam dicitans somno repugnat, unde oriuntur motus contrarii, per naturalem motum homo in somnum labitur, per voluntarium eundem cohibet, & vigiliam prorahere nititur. LXX utuntur pro *נרם* *dormituri*, paululum dormire, est enim formã inchoativã ac desiderativã Psalm 120. v. 3. Prov. 6. v. 10. Esa. 5. v. 27. C. 56. v. 10. Nahum. 3. vers. 18. quo verbo etiam Syrus hoc loco utitur. Huic *υπαικειν* opponitur *καθευδειν*, quando quis somno liberè indulget, ac gravi somno confopitur Matth. 8. v. 24. Marc. 4. v. 38. usurpatur de Christo tam altum dormiente, ut nec ventorum turbine, nec maris tempestate excitaretur. Matth. 26. v. 40. Marc. 14. v. 37. de discipulis Christi, quorum oculi erant somno gravati, ut vix possent à somno excitari. Sirac. 22. v. 7. *ἐξυγεισεν καθευδωντα ἐκ βαθεως ὑπνῆς* 1. Sam. 26. v. 7. usurpatur de Saule oppresso gravi somno. Jon. 1. v. 5. de Jona præ somni gravitate *serente*. Syrus habet verbum *נרם* quod in Chald. parap. usurpatur de sopore, quem Deus immisit Adamo, cum costam ei sine doloris sensu eximere vellet Genes. 2. vers. 21. Talis igitur apud Græcos est differentia inter *υπαικειν* & *καθευδειν*, qualis apud Hebræos inter *נרם* quod significat *dormire, dormituri* & *נרם* quod significat *sopore*, hoc est gravi somno *opprimi*. It. *ישן* dormire Psalm. 121. v. 4. utrumque verbum *נרם* & *ישן* conjunguntur, non dormitabit nec dormiet, qui custodit Israel. LXX. *εὐσταθεῖς ἔσθε ὑπνωσιν*. Prov. 6. v. 4. *Ne des* *נרם* somnum oculis tuis, neque *נרם* dormitationem palpebris tuis. LXX. *μη δῶς ὑπνον τοῖς ὀφθαλμοῖς, μη ἢ ἵπνευσάσης*. Aquil. Simm. & Theod. *καὶ υπνωσῶ μόν.* Proverb. 24. v. 33. *מעט שנות מעט הנרמה* parum somni & parum dormitationis. LXX. *ὀλίγον υπνωσάτω, ὀλίγον ἢ καθοπνῶ* Es. 5. v. 27. *ישן ולא ינרם* non dormitabit, nec dormiet. LXX. *εὐσταθεῖς, ἔσθε ἵπνευσάσης*. Hæc omnia ostendunt, quod sit differentia inter *υπαικειν* καὶ *καθευδειν* & qualis illa sit. Qui utrumque omnibus virginibus tam prudentibus, quam fatuis tribuunt, illorum 1. quidam accipiunt de dormitatione & somno naturali, existimant enim Christum noctu venturum ad iudicium hominibus dormientibus, quod colligunt tum ex hoc ipso loco, ubi *mediã nocte* dicitur *clamor factus*, Ecce sponsus venit, tum ex 1. Thessal. 5. vers. 2. *dies Domini veniet sicut fur in nocte*. Sed ostendimus in cap. proxime præcedente, hanc hypothelin non posse ex Scripturis firmiter probari. Ac certum est, in adventu Christi non omnes naturali somno fore oppressos, cum non sit idem tempus noctis ac diei apud omnes homines, unde Apostolus dicit 1. Thessal. 5. vers. 10. *Christus mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus*

sive dormiamus (in novissimo ipsius adventu) *simul cum illo vivamus*. 2. Multi ex veteribus de somno mortis hoc accipiunt, ut sit sensus, quod omnes morituri sint, priusquam Christus veniat ad iudicium. Hilarius can. 27. Matth. *Expectantium somnus credentium quies est, & in penitentie temporis mors temporaria universorum*. Chrysostomus homil. 79. in Matth. *Somnum quendam esse mortem* denotat. Hieronymus in cap. 24. *Omnes dormitaverunt, hoc est mortui sunt, quia Sanctorum mors somnus appellatur. Consequenter autem dicitur dormiverunt, quia postea suscitanda sunt*. Augustin. Epist. 120. cap. 32. *Dicitur est, dormierunt omnes, quia non tantum stulti, qui propter humanam laudem bona operantur coram hominibus, verum etiam sapientes, qui hoc propterea faciunt, ut laudentur Deus, experiuntur istam mortem, ex utroque enim genere moriuntur*. Similia occurrunt in Psalm. 147. lib. 83. quaest. q. 59. sermon. 23. de verbis Domini. Gregorius homil. 12. in Evang. *Domine venire iudex ad extremum iudicium differt, electi & reprobi in mortis somno sopiuntur. Dormire etenim mori est. Ante somnum verò dormitare est ante mortem à salute languescere, quia per pondus agnitudinis pervenitur ad somnum mortis. Probari posset hæc interpretatio ex eo, quod verbum *καθευδειν* de somno mortis usurpetur Dan. 12. vers. 2. Matth. 9. vers. 24. Marc. 5. vers. 39. Luc. 8. vers. 52. ut & Syriacum *נרם* 1. Corinth. 7. vers. 39. cap. 11. v. 30. quodque, ut monet Augustin. d. I. non solum in sacris literis, sed etiam apud profanos Scriptores usitatum sit, mortem appellari somnum, denique quod omnes dicuntur *surrexisse ex mortuis* scilicet suscitata. Sed cum parabola pertineat etiam ad eos, quos *υπνῆς* novissimus Christi adventus deprehender, ideo non potest satis commode dici, omnes illos, de quibus parabola agit, ante diem novissimum morituros. 1. Cor. 15. v. 51. *Non omnes dormiemus, omnes tamen immutabimur*. 1. Thess. 5. vers. 17. *Nos, qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obviam Domino &c.* Responderi quidem posset, immutationem illorum, quos dies novissimus deprehendet vivos, fore morti analogam, vel de majori hominum parte fermonem esse, quæ morietur ante extremum diem, quorum comparatione pauci sunt, quos dies novissimus vivos deprehendet. Sed de *spirituali* potius quam *vel naturali vel mortis somno* hic videtur agi. Ut enim per *virgines non carnis, sed mentis virginitas per lampades, non corporales, sed spirituales lampades; per oleum non corporale, sed mysticum oleum; ita quoque per dormitationem & somnum, non corporalis, sed spiritualis dormitatio & somnus intelliguntur*. 3. Quidam statuunt tantum *ad parabolæ complementum* hoc esse additum, non autem ad rem per parabolam significatam pertinere. Sed cum optimam hoc membrum præbet significationem, & ad exprimendam causam diversi eventus referatur, ideo non est verisimile, illud otiosè adjectum. 4. Quidam ergo de *spirituali dormitatione & somno* exponunt, quod & fatuæ & prudentes virgines primum quidem dormitaverint, postea verò etiam dormierint, ex quo colligit Piscator Herborenensis *securitatis carnalis somnum etiam veris Christianis**

ad tempus obreperere. Sed hæc interpretatio (quatenus spirituali somnum etiam verè piis per virgines prudentes significatis tribuit) non solum cum fidei analogia, sed etiam cum hac ipsa parabola pugnat. Securitas enim carnalis non consistit cum spirituali prudentia, ac quos dies novissimus carnalis securitati immerfos invenerit, non poterunt cum sponso cœlesti ad gaudia nuptiarum cœlestium intrare. Cum ergo res ipsa ostendat, non posse dormitationem & somnum simul omnibus decem virginibus tribui, idè distributivè hoc membrum accipiendum esse statuimus, ut dormitatio tantum ad prudentes, somnus verò tantum ad fatuas pertineat, vel si dormitatio etiam fatuis tribuatur, tanquam somni prævia, statuendum tamen, quod in ipso sponsi adventu fatuæ non tantum dormitaverint, sed etiam dormierint, prudentes verò tantum dormitaverint, non autem dormierint. Qui de mortis somno hoc membrum accipiunt, sic progrediuntur, quod prudentes dormitaverint, h. e. cum certa spe resurrectionis & cum pace conscientia hinc discesserint; fatuæ autem dormierint, h. e. quod sine spe resurrectionis ad vitam, & sine quiete conscientia mortem operierint. Sed paulò antè ostendimus, quid obstat, quò minus de somno mortis hoc membrum explicari possit. Per dormitationem igitur intelligimus peccata venialia, h. e. infirmitates ac nævos etiam renatis in hac vita adhuc post regenerationem adherentes, quod non semper sint Spiritu fervidi Rom. 12. v. 11. sed quandoque ob reliquias carnis negligentis ac remissi, quod non semper actu cogitent, Christum hac die, hac hora, hoc momento venturum, si enim hoc ipso momento adfuturum scirent, cautius ambularent ac ardentius Deo servirent, quod non semper ea alacritate, illo Spiritus robore ac fervore, quo decebat, adventum sponsi expectent, quod non semper ita vigilant, ut oportebat. Per somnum verò intelligimus peccata mortalia & carnalem securitatem, qua fides & gratiosa Spiritus sancti inhabitatio excutitur, quando scilicet illi, qui vera fide sponsum cœlestem prius expectabant, vel carnis suæ illecebris vel mundi scandalis seducti spem adventus abijciunt, carni suæ securè frena laxant, & cum servo malo prudenti opposito dicunt. *Moratur Dominus adventum, idè percutiam consertos, edam & bibam cum ebriis &c.* Quod si vel maxime quidam ipsorum fidem Historicam & externam speciem pietatis retineant, tamen incredulitatis somno gravantur, viva scilicet fide & interiore pietatis studio destituti. Autor operis imperf. homil. 52. *Hoc significat sermo, quia tardante consummatione non solum peccatores, sed etiam justi & spirituales ad negligentiam sunt revolvendi & relinqua via virtutis ad carnalia delectamenta sunt aliquatenus transiuri &c.* Et hoc est, quod Christus dicebat: *Putas, cum venerit filius hominis, inveniet fidem super terram? Nam vigilare est iustitiam facere, dormire autem est eam negligere* (ubi tamen hic autor etiam r^o dormire ad prudentes virgines referre videtur, quod non probamus.) Probatur hæc interpretatio: 1. ex pbnsi. *vuzi?ev* enim apud Græcos, ut & dormire apud Latinos significat negligentem esse, non attendere. Plutarch. in vita Ciceron. *vuzi?ev* quandoq; Ciceroni videtur Demosthenes,

quod Horatius sic expressit; *quandoque bonus dormitat Homerus.* Plato lib. 3. de Republ. *vuzi?ev* διαστ^o. lib. 5. de legibus de scientia numerorum dicit, quod *vuzi?ev* εγγει^o. Psalm. 19. versic. 28. *εμβσταξεν η ψυχη ης απ^o ακηδίας* dormitavit anima mea prætedio. In Hebræo est *שׁוּן שׁוּן* stillavit, destillavit. De pastoribus in officio negligentibus dicitur Esa. 56. versic. 10. *Φιλ^oντες vuzi?ev*, amantes dormire. Vicissim *καθε^oδ^oν* usitate in Scripturis de somno peccatorum mortalium & carnalis securitatis accipitur Marc. 13. v. 25. & 36. Ephes. 5. v. 14. 1. Thess. 5. v. 6. &c. 2. ex parabola scopo. Totam enim parabola eò directa est, ut vigilantiam nobis commendet, argumento à vigilantia præmio ducto, contra verò à carnali securitate nos dehortatur, argumento à tristi & noxio securitatis illius effectu. Ergo per dormitationem virginum prudentium intelligitur aliquid, quod cum spirituali vigilantia adhuc consistit, quales sunt infirmitates fidei & morum in sanctis, quibus per Spiritum repugnant, sicut dormitantes somno renitentur, per somnum verò virginum fatuarum intelligitur aliquid, quod spirituali vigilantia est oppositum, qualis est carnalis securitas cum hypocriti conjuncta & quævis graviora peccata fidem & Spiritum S. excutientia. 3. ex re ipsa. Ecquis enim non sentit fidei infirmitatem & interdum etiam quandam torporem? quis tam alacriter vigilat, ut oportet? quis singulis momentis actu de novissimo Christi adventu cogitat? quis non interdum implicatur negotiis terrenis? cujus animum non distrahunt quandoque occupationes hujus seculi? quis ita intentus est in Christi occursum, quin curæ ac sollicitudines hujus vitæ ipsum quandoque retardent? Hæc ergo est illa dormitatio etiam prudentium virginum, sed à somno fatuarum plurimum distincta.

Occasio utriusque videlicet tum dormitationis in prudentibus, tum somni in fatuis est mora sponsi. Tardante sponso dormitaverunt omnes ac dormierunt. Propria causa dormitationis & somni est infirmitas humana, ad somnum proclivis etiam eo tempore, quo maximè vigilandum; occasio duntaxat, apparens mora sponsi. Qui enim in multam noctem alicujus adventum expectant, illis tandem tedium aliquod obreperit, ut expectare desinant, vel certè non tam vigilanter, uti prius expectent. Quomodo verò hæc mora sponsi congruit rei per parabolam significatæ, cum de Christi adventu Petrus sic loquatur. 2. Epist. 3. versic. 9. *εσπαδ^oν^o non tardat Dominus promissa*, cumque servus malus sic describatur in præcedente parabola, quod dicat in corde suo *χρον^oι^o tardat Dominus meus venire?* Resp. respicit Christus ad cogitationes harum virginum, quibus videbatur sponsum tardare, quia non statim adveniebat eo tempore, quo ipsum expectabant. Chryostomus hoc eò refert, quod Christus discipulis eximere voluerit opinionem, quod statim sit venturus. *Non parvum*, inquit, *temporis spacium interjectum ostendit, reprimens opinionem discipulorum, qui confestim regnum ejus futurum sperabant, quapropter crebrò hujusmodi spe eos removeret.* Sed ex sua sententia Christus noluit significare tempus adventus adhuc longe abesse, id enim repugnat parabolæ scopo, quod singulis mo-

men-

mentis adventus ejus vigilanter sit expectandus, Rectius ergo dicitur, quod *respectu nostri* sponsus celestis dicatur *prope ad*, quando non statim præstò est eo tempore, quo à nobis expectatur, quia *inter priorem & secundum Domini adventum non parum temporis prætergreditur*, ut loquitur Hieron. in cap. 25. Matth. Autor imperf. operis in h.l. *Vere non tardat, sed quantum ad nostram inconstantiam tardare videtur.* Differt verò Christus reditum suum ad iudicium i. ut detur impiis spacium pœnitentiæ 2. Pet. 3. v. 9. *non tardat Dominus promissa, sicut quidam existimant, sed paratè & patienter agit propter nos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, inde Hilarius in h.l. dicit, *mora sponsi pœnitentia tempus est.* 2. ut numerus electorum compleatur Hebr. 11. vers. 40. 3. ut mundi malitia ad summum perveniat fastigium, antequam iudicio novissimo condemnentur Genes. 15. v. 16. cap. 18. vers. 20. Matth. 23. vers. 32. &c. quod tamen potius consequens est ac finis accidentarius, quam principalis istius dilationis. Colligitur autem ex hoc loco 1. magnum esse discrimen inter pios & hypocritas respectu ad Domini adventus expectationem habito. Illi enim tantum *dormitant*, h. e. sentiunt adhuc infirmitates fidei & morum, quandoque ob reliquias carnis redduntur somnolenti ac remissi, interim tamen infirmitatibus illis repugnant, & *Spiritu actiones carnis mortificant* Rom. 8. v. 13. Hi verò non solum *dormitant*, sed etiam *dormiunt*, h. e. indulgent carnis suæ affectibus, delectantur somno carnalis securitatis, abijciunt spem de reditu Domini &c. Illi quamprimum admonitionibus verbi, virga crucis, signis imminentis iudicii &c. excitantur, animum recipiunt & serio expurgantur; his verò idem accidit, quod profundo somno oppressis, qui nec aculis puncti verè expurgantur 1. Cor. 15. v. 34. *ἐνεπλήσθησαν δυνάμει.* 2. Renovationem in hac vita non esse perfectam, sed renatis adhuc adhærere carnis infirmitates Roman. 7. vers. 14. unde in fide & pietatis studio quandoque sunt languidi, quod per dormitationem hic significatur. 3. Jugiter ad Deum ingemiscendum esse, ut vigilantiam in nobis per Spiritum sanctum operetur, augeat & conservet, ne ex dormitatione in somnum securitatis incidamus. Debemus etiam nos ipsos quotidie excitare & quantis possumus per Dei gratiam donatis viribus somnolentiæ repugnare, memores præceptorum Apostolicorum Ephes. 5. vers. 14. *Surge, qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* 1. Thess. 5. vers. 6. *Non dormiamus sicut & ceteri, sed vigilemus & sobrii simus.* Hebr. 3. vers. 13. *Adhortemini vos ipsos per singulos dies.* 4. Mora illa sponsi, quæ nobis talis videtur, non ad dormiendum & stertendum nos abuti debere, sed per eam potius ad vigilantiam excitari, ne cum venerit, nos dormientes & imparatos inveniat.

Posterior hujus parabole pars explicat, quomodo in ipso sponsi adventu hæ decem virgines sese gesserint & quàm diversus eas secutus fuerit eventus. Ut autem in priore, ita quoque in hoc posteriore membro triplex earum *convenientia*, sive paritas, ac triplex earundem *differentia*, sive imparitas describitur. Conveniunt ac pares sunt in eo, 1. quòd clamor de sponso jam jam præ-

sente ad omnium aures pervenerit. Porro *media noctis clamor factus est.* Particula adverbialia de ostendit, descriptioni *status* jam subiecti descriptionem *diversi eventus.* Omnes quidem virgines sunt lampadibus exierunt, hæ paratæ fuerunt exire in occursum sponso, sed in ipso adventu sponsi earum diversitas apparuit, unde etiam dispari eventum sponsum exceperunt. Dixerat Christus in proximè præcedentibus, omnes hæc virgines nuptiales dormitasse & dormivisse, jam ergo porro exponit, quomodo sub ipsam præsentis sponsi adventum ex dormitatione & somno fuerint expergefactæ. Hujus excitationis primò describitur *tempus*, quod *media nocte* fuerit facta, secundò *medium*, quod per *clamorem prænuncium* peracta fuerit. *Clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Quod ad temporis adjunctum attinet, monuimus superius, solennitatis nuptiarum apud Judæos, ut & alias gentes, noctu celebrari fuisse solitas, facile ergo contingere potuit, ut sponsus moras neceret, ac sub multam demum noctem ad sponsæ aedes, in qua cum sociis virginibus commorabatur, veniret. Hoc accommodat Christus ad præsentem parabolam, dicens, sponsum secunda noctis vigilia, & quidem jam completa venisse, cum omnes partim dormitarent, partim verò profundo somno detentæ nihil minus, quàm de adventu sponsi, cogitarent. Syrus reddidit, *בבקר בלילה* in *divisione* vel *medietate noctis.* Si de applicatione hujus membri ad rem per parabolam significatam quaratur. 1. quidam respondent, per illud *μεσονυκτιον* nihil significari, sed tantum ad *complementum parabole* esse adjectum, quia sponsi media demum nocte venire solebant. Sed & solitum erat, virgines nuptiales sponsæ addi socias, quæ adventum sponsi cum lampadibus expectabant, nihil tamen minus eo ipso aliquid significatur. Ac si communiter moris fuit, sponsum non nisi media nocte venire, cur moram fecisse visus dicitur? 2. Chrysostomus ex eo colligit, Christum noctu ad iudicium venturum. *Aut in parabola* (inquit) *quoniam dixerat, dormiebant, commoratur, aut rursus in nocte futuram resurrectionem ostendere voluit.* Sed quid de hac hypothesi statuendum sit, in cap. proximè præcedente dictum fuit. 3. Plerique ex veteribus id eò accommodant, quod Christus significetur ad iudicium venturus, quo tempore minimè expectabitur Matth. 24. v. 49. Hilarius in h.l. *Nocte media, hoc est, cunctis ignorantibus, Hieronymus h.l. Subito quasi intempesta nocte & securis omnibus, quando gravissimus sopor est, Christi resonabit adventus.* August. Epist. 120. cap. 33. *Non tunc veniet, cum speratur, sed media nocte, cum valde obscurum, hoc est, occultum erit, an veniat.* serm. 23. de verbis Domini: *Quid est, media nocte? quando non speratur, quando omnino non creditur. Noctem posuit pro ignorantia, quod probat ex Act. 1. v. 7. 1. Thess. 5. v. 2.* Similia occurrunt apud Bedam & Theoph. in h.l. Gregorium homil. 12. in Evang. &c. Congruit hæc interpretatio cum verbis præcedentibus, *dormitaverunt & dormierunt*, hoc est, cum secunda noctis vigilia jam præcessisset, non cogitarunt sponsum venturum. 4. Potest & illud notari, quod per *media noctis tenebras* significetur, Christum venturum eo tempore, quo *iniquitas*, quæ nocti & tenebris com-

comparatur Rom. 13. vers. 12. Ephel. 5. v. 8. &c. passim in genere humano sit abundantura & caritatis frigus invaliturum Matth. 24. v. 12. quia nocti & caligo & frigus competunt, quove somnus carnalis securitatis plerosque sit oppressurus Luc. 18. v. 7. 1. Thess. 5. v. 2. &c. quia media nocte homines profundo somno immergi consueverunt. Quod ad posterius, videlicet ad medium expergefationis pertinet, apud Judæos more receptum fuit, ut sponso adibus sponsa jam appropinquante quidam ex comitibus ejus, sociis scilicet juvenibus præcurrerent, ad pulsarent & sponsum adesse, proinde etiam obviam ipsi exeundum esse nunciarent. Hoc itidem accommodat Christus ad præsentem parabolam. Per hunc verò clamorem omnium consensu intelligitur vox tubæ adventum Christi ad judicium proximè præcessuræ Math. 24. v. 31. 1. Corinth. 12. v. 52. 1. Thess. 4. v. 6. de qua in cap. præced. itidem plenius egimus. Hilarius in h. l. *Clamor tubæ vox est Domini præcedentis adventum, & universos, ut obviam sponso exeant, excitantis.* Chrysost. h. l. *Clamorem etiam Paulus commemoravit, dicens. In jussione, in voce Archangeli, in ultima tuba descendet de caelo. Autor operis imperf. h. l. Est quasi clamor præcurrentium & præturbantium Angelorum.* Hieronimus h. l. *Per Angelorum clamorem & turbas præcedentium fortitudinum Christi resonabit adventus.* Possunt etiam nomine clamoris intelligi signa proximè & immediatè adventum Domini præcessura, quæ itidem clamant, h. e. omnium auribus & cordibus insonant hanc vocem: *Ecce sponsus venit, exite ei obviam, idè est hoc loco excitantis & expergeficientis, quia paulò ante præcedit, quod omnes dormitaverunt & dormierint.* Respicit etiam hæc particula ad primum Christi adventum. Quem admodum enim de eo hæc vocula attentionis usurpatur Esa. 35. v. 4. Zach. 9. v. 9. &c. ita quoque ad secundum Christi adventum hoc loco accommodatur. Præterea hæc vocula rem novam & mirabilem vel etiam desiderabilem & expectatam significat Esa. 7. v. 14 cap. 12. v. 2. &c. quæ significatio itidem ad hunc locum applicari potest, quia adventus Christi impiis in peccatorum somno stertentibus erit mirabilis ac terribilis, piis verò expectatus ac desiderabilis. Interdum hæc particula significat certitudinem Genes. 17. v. 20. c. 28. v. 15. &c. quandoque præsentem rei exhibitionem aut præsentiam notat Genes. 29. v. 2. 9. & 25. &c. utrumque huic loco congruit. Sensus enim est, *Ecce jam certò venit sponsus, jam præsens adest. Unde etiam non dicitur in futuro, veniet sponsus, sed in præsentem ep̄chetay. Adest, quem hæctenus expectastis, exite proinde ei obviam, ut honorifice ac decenter eum excipiatis. Ipse ep̄chetay vestrum est ἐξ ἐξουδου. Videmus igitur 1. Christum venturum mediâ nocte, hoc est, eo tempore, quo minime expectatur; quo non solum plerique ab Adamo progeniti somno mortis erunt consopiti, sed etiam illorum, qui in vivis adhuc erunt, plerique somno carnalis securitatis erunt immergi, reliqui etiam verè fideles & pii actu non cogitant de Domini adventu. Omnibus igitur ex improvviso superveniet. 2. Clamorem quandam ipsius adventui fore prævium, eumque prænunciaturum. Dormitant omnes virgines, quædam*

Harm, Tom. II. vel Gerhard, Cont. pars secunda

etiam dormiunt ac stertunt; clamorem igitur ad excitandum opus erit. Clamant amici sponsi, hoc est, Apostoli Johan. 3. vers. 29. in suis scriptis: *Fines seculorum in nos venerunt 1. Cor. 10. v. 11. Dominus prope est Philip. 4. v. 5. Adhuc paululum & pusillum & qui venturus est, veniet, neque tardabit, Hebr. 10. v. 37. Adventus Domini appropinquavit, ecce judex ante januam assistit Jac. 5. v. 8. & 9. Omnium finis appropinquavit 1. Pet. 4. v. 7. Novissima hora est 1. Joh. 2. v. 18. sed hoc clamore admonitionum Apostolicarum nolunt homines è somno peccatorum excitari. Clamant fideles Ecclesiæ ministri, exaltant vocem suam sicut tubam Esa. 58. v. 1. Ecce sponsus cælestis in propinquo est, parate vos per veram & seriam pœnitentiam, ut cum gaudio eum excipiatis, Sed & hunc clamorem multi se audire distimulant. Clamat igitur Christus per signa adventus sui remotiora, per bella, famem, pestilentiam, per φασγῆδες de cælo, per pressuras in terris &c. quæ omnia nihil aliud sunt, quàm acicula, quibus Deus stertentes in peccatis pungit ac flagella, quibus homines castigat, ut è veterio excitentur. Autor operis imperf. homil. 52. *Estimemus clamorem esse tubarum præcedentium, quas Johannes in revelatione sua exposuit, quarum tubarum clamores sunt ipsa signa, quæ sunt ab eis. Qui ergo intelligit illa signa clamantia finem seculi, ille audit clamorem tubarum clamantium, quia venit sponsus, quarum vocem non corporis auris audit, sed anima intellectus.* Sed ad hunc etiam clamorem multorum aures obsurduerunt ac obstupuerunt. Christus igitur in die judicii alium clamorem adhibebit, quo etiam profundissime dormientes excitabit, videlicet κέλευσμα, 1. Thess. 4. vers. 16. quod proprie significat clamorem, quo nautæ vel milites ad rem strenue gerendam sese invicem exhortantur, φωνὴ Ἀρχαγγέλων καὶ σαλπύγγα θεῶν, quo clamore tota cæli terraque machina concutietur ac judicem omnium adesse testabitur. Tunc clamabunt Sol & Luna horribiliter obscurata, clamabunt stelle, de caelocadentes, clamabunt virtutes calororum commote, clamabit maris sonitus Luc. 21. v. 25. clamabunt cæli magno stridore transeuntes, clamabunt Elementa calore colliguata, clamabit terra cum omnibus suis operibus exuri cepta 2. Pet. 3. v. 10. clamabit signum filii hominis in cælo apparens Matth. 24. vers. 30. clamabit totum hoc universum, & omnia, quæ sunt in eo, judicem adesse &c. 3. Nostrum igitur est, clamorem Apostolorum, fidelium Ecclesiæ doctorum & signorum, judicium præcedentium audire, ac per veram pœnitentiam Christo sponso nostro maturè occurrere, ut in die judicii cum gaudio ipsum possimus excipere & coram ipso consistere Luc. 21. v. 36. Autor operis imperf. d. l. *Unde putas jubet exire? de domibus, de civitatibus? non, nec enim est rario sed ut exeant de mundo, de iniqua carnis Natura.**

Altera harum virginum convenientia ac paritas in eo consistit, quod audito clamore de adventu sponsi omnes surrexerint. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, tôte tunc, postquam scilicet clamorem illum, Ecce SPONSUS venit &c. audierunt. Ut enim dilatio adventus omnes fecerat dormitantes & dormientes, sic clamor de adventu omnes excitat, ut surgant. Qui per dormitationem & somnum intelligunt mortem, illi

Aaaa per

per *ἐγερσιν* intelligunt resurrectionem. Postquam enim tubæ novissimæ sonitus fuerit auditus, omnes mortui resurgent 1. Corinth. 15. v. 52. in qua significatione verbum *ἐγείρω* & *ἐγείρω* frequenter in Scripturis usurpatur Matth. 9. vers. 25. cap. 10. vers. 8. cap. 11. vers. 5. cap. 16. vers. 21. &c. Augustin. Epist. 120. cap. 33. *Qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis, & procedent. Surgant ergo omnes virgines ille & sapientes & stultæ.* Gregor. homil. 12. in Evang. *Tunc omnes virgines surgunt, quia & electi & reprobi à mortis suæ somno excitantur.* *Qui dormitationem & dormitionem de naturali somno exponunt, verbum ἐγείρω accipiunt de evigilatione ex somno naturali, in qua significatione hoc verbum usurpatur Matth. 2. vers. 13. & 14. cap. 8. v. 26. &c.* Sed quia superius monuimus, de spirituali dormitatione ac somno hic sermonem esse, ideò etiam hæc *ἐγείρω* de spirituali evigilatione accipienda, quod videlicet clamor de sponso jamjam præsentem omnes excitaverit, prudentes quidem de dormitatione, fatuas verò ex profundo somno, in qua significatione verbum *ἐγείρω* accipitur Roman. 13. v. 11. Ephes. 5. v. 14. non quòd fatuæ virgines à spirituali somno peccatorum & securitatis fuerint liberatæ, (quia quos vel mors vel dies iudicii in peccatis mortalibus stertentes inveniet, somno illi perpetuò immergi manebunt) sed quod re ipsa intellexerint, adesse jam sponsum, de cuius adventu prudentes actu eo tempore non cogitaverant; fatuæ verò spem de eo penitus abjecerant. Auctor imperf. operis d. l. *Cum clamor factus fuerit, non solum iusti, sed etiam peccatores de somno negligentie surgent. Tunc incipient timere & festinare, tunc credent quia verè finiendus est mundus. Nam quemadmodum securitas etiam diligentes homines negligentes facit: sic timor præsentis periculi etiam negligentes homines exhibet diligentes, sed nihil eis proderit diligentia illa, quam generat timor, non fides. Tunc intelligunt, quia nihil est, quod vixerunt in mundo. Tunc incipient sapere, quando nihil eis proderit sapuisse.*

Tertia harum virginum convenientia ac paritas ea est, quod omnes apparaverint lampades suas. *ἐκόσμησαν* ornauerunt lampades suas. Quidam sic accipiunt, quod floribus & herbis, odoriferis eas ornauerint. Sed in lampadibus ejusmodi ornatus vix habet locum. Euthymius igitur exponit de olei ornamento, quia hic maximus lampadis ornatus est, si oleo sufficiente sit instructa. Sed quia virgines fatuæ de olei defectu conqueruntur, ideò nec hoc satis commodè per ornatum lampadum intelligi potest. Abulensis exponit, *emunxerunt*, ornatur enim lampas quando sordes vel à muco ellychnii vel ab oleo contractæ absteruntur. Origenis Interpres vertit *composuerunt*, quasi legerit *κατεκένωσαν*, sicut etiam Augustin. serm. 22. de verb. Domini legit, *aptaverunt*. Syrus habet verbum *ἵστη* restititavit, direxit, *paravit aptavit*. Quomodo verò hoc congruit fatuis, quòd apparaverint suas lampades, cum ipsæmet testentur, eas ob defectum olei extingui? Quidam accipiunt *distributivè* & ad solas prudentes hoc membrum referunt. *Apparaverunt lampades suas* scilicet, quæ habebant oleum, quod lampadibus infunderet & hoc modo eas disponere possent, ut clare lu-

cerent. Sed ut omnes surrexissent, ita quoque omnes lampades suas dicuntur passisse. Repetenda igitur hoc loco regula superius tradita, quod verba activa apud Hebræos sæpe accipiuntur de conatu. *Apparaverunt suas lampades*, hoc est, apparare eas voluerunt ellychnii sordes emungendo, oleum affundendo atque ita disponendo, ut arderent, sed ob defectum olei fatuæ hoc expeditum & effectum dare nequiverunt. Hunc lampadum apparatus in sensu mystico Hilarius ad corporum resuscitatorum reformationem accomodat. *Lampadum assumptio*, inquit, est animarum reditus in corpora, earumque lux conscientia boni operum elucens, quæ vasculis corporum continetur. Sed re-ctius eò refertur, quod Domino ad iudicium veniente omnes Christiani, sive dies novissimus eos vivos deprehenderit, sive ex mortuis resuscitati fuerint, se & sua Christo iudici probari desiderabunt, sicut hæc virgines lampadibus clarè lucentibus sponso se probare voluerunt, quodque omnes tunc solliciti erunt, quomodo in conspectu iudicis stare, & ad cœlestium nuptiarum gaudia cum ipso intrare possint. Hieronymus in h. l. *Ornaverunt unaquaque lampades suas*, hoc est, *seclusus*, in quibus oleum scientia recipiebant, ut alerent opera virtutum, quæ ante verum iudicem resurgerent. Auctor imperf. operis h. l. *tunc composuerunt lampades*, hoc est tunc incipient omnes aspicere & discutere suam suam, tunc considerabunt singuli opera sua, qui benefecerunt & qui male, interrogabunt conscientias suas. *Quemadmodum enim superventuro suo festinat se sponsa componere, ne forte ex aliqua parte sponso displiceat, ita singuli semetipsos iudicabunt apud se, hoc est enim preparare fides suas.* Augustin. serm. 23. de verbo Domini: *Nihil aliud est cœperunt aptare lampades suas, quam parare Deo operum suorum reddere rationem.* Neque tamen hoc eò extendendum, quasi etiam fatuæ, hoc est hypocritæ sese in occursum sponsi dignè parare possint, hoc enim solis prudentibus, hoc est vere piis & fidelibus competit; vel quasi meritis suorum operum coram iudice consistere se posse, & vitam æternam ex suo sibi deberi merito sibi persuadeant, contrarium enim in processu iudicariæ forma paulò post Christus docet Matth. 25. vers. 37. ubi pii admirabundi dicunt: *Domine, quando te vidimus esurientem & proximum? vel quasi de omnibus operibus, verbis & cogitationibus suis sufficientem rationem sese iudici reddere posse confidunt, contrarium enim docet David Psalm. 130. v. 3. Psalm. 143. v. 2. sed eò duntaxat respicit parabola, quòd omnes tunc optabunt se iudici placere & ad gaudia nuptialia cum ipso intrare posse. Sed eorum, qui in hac vita sese non paraverunt & iudici placuerunt, desiderium ac votum tunc temporis erit frustraneum. Nostrium igitur est, in hac vita à peccati somno surgere, ac lampades nostras parare, hoc est vera fide sponso cœlesti nos probare, lucem fidei per bona opera exerere & quales in iudicio comparere cupimus, tales singulis horis ac momentis nos præstare, ne in iudicii frustraneo & irritò conatu lampades nostras parare satagamus. Pulchrè Auctor imperf. operis d. l. *Si semper nos ita iudicaremus, quemadmodum tunc iudicaturi sumus, nunquam peccaremus in Deum. Sicut ergo vir-**

go de formis & debilis sine causa se componit (sponso jam adventante) sic & tunc peccatores sine causa sese prae-
parant. Sicut Rex cum Tyranno bellum facturus, si vo-
luerit aspicere (lustrare) exercitum & considerare ar-
ma illorum, jubet mitti tubam, ut fiant admoniti. Tunc
omnes milites festinant arma sua aspicere, ubi sit gla-
dius ejus, ubi sit lorica posita, ubi jacet scutum, & qui
securitatis tempore arma sua studuit immacolata custo-
dire, paratus & letus currit ad inspectionem. Et qui
tempore securitatis gladium suum aruginare dimiserit,
aut loricae sordescere, scutum frangi aut rumpi, cum
audierit tubam & ipse quidem excitatus timore festinat
limare gladium suum, detergere loricae, ligare
aut stringere scutum, sed non poterit celare negligenti-
am suam, quia urgens necessitas non permittit lon-
gi temporis opus implere, sic & Domino absente malus
servus non opera sua, quid facit, aut non facit, aut
quomodo credit, nec cogitat, quia venturus est Do-
minus ejus & opera persequetur & fidem, sed cum vi-
derit eum venientem de longe, tunc aspicit opera sua,
tunc incipit festinare, sed nihil ei proderit festinatio ejus,
quia multorum dierum negligentia non potest una hora
expleri.

Hac omnia Christus ipse nobis acriter incul-
cat, quando triplici virginum istarum convenien-
tie ac paritati triplicem earundem differentiam ac
disparitatem in parabola porro opponit. Prima
disparitas haec est, quod oleum ad lampades pa-
randas necessarium fatuus defuerit; prudentes
verò in vasculis suis illud habuerint. Defectus
ille olei respectu fatuarum virginum declaratur
ex consequenti, videlicet quod petierint à pru-
dentibus oleum sibi communicari, prudentes ve-
rò illud facere reculaverint, quae omnia propo-
nuntur in forma dialogismi, cujus partes sunt
duae: 1. Fatuarum petium. Fatuae autem pru-
dentibus dixerunt: *Date nobis de oleo vestro.* Ni-
mirum cum lampades suas apparere inciperent,
animadvertunt oleum sibi deficere, conversae
igitur ad prudentes dixerunt. *Date nobis de oleo ve-
stro, quod in vasculis vestris habetis.* Addunt
etiam petitionem ductam à necessario, quia
lampades ipsarum extinguantur. Voluit hoc dice-
re. Oleum in lampadibus nostris penitus est
consumtum, cum sponso in mediam noctem ad-
ventum suum distulerit, nec attulimus nobiscum
aliud in vasis, quo lumen lampadam deficere jam
incipiens instaurare possimus, ad vestram igitur
confugimus beneficentiam, ac petimus, ut ex olei
vestri copia nostram sublevetis inopiam, ut & nos
una vobiscum sponso obviam ire & ad gaudia
nuptiarum introniamus possimus. Sicut lampades
ipsarum videbantur primum pulchre lucere,
sed revera fomento lucis, oleo scilicet, erant de-
stituta, ac proinde extinctioni proxima: ita in hac
petitione sua videntur sibi pulchre sapere & rebus
suis bene consulere, sicut Origenes dicit in hoc
loco tamen si fatuae erant, tamen intelligebant, quod
cum lumine debeant sponso obviam venire; quodque
extinctis lampadibus non possint ad nuptias in-
trare, nihil etiam videtur ipsis *Φιλανθρωπότητος*,
inquit Chrysostomus, quia non totum sibi dari
sed aliquid duntaxat de oleo sibi communicari pe-
tunt, sed revera erant bis fatuae, tum quod in ipso
demum sponso adventu olei defectum animad-
vertunt, tum quod ab aliis sese impe-
traturas sperarunt, quo ipsamet in suum usum indi-
gebant. Quidam etiam hoc fatuitati tribuunt,
quod oleum gratis sibi dari petant, non autem mer-
cedem aliquam pro eo offerant. Sed verbum dan-
di generale est, ac tunc etiam usurpatur, quando
interventu precii aliquid alteri datur Genes. 23.
v. 9. cap. 25. v. 30. 1. Reg. 21. v. 2. &c. ac quia
postea eunt emptum ad vendentes oleum, ex eo
intelligitur, quod etiam à virginibus suis vel pre-
cario vel pretio oleum sibi dari exoptaverint. Nec
convenit rei per parabolam significata fatuitati
hoc tribuere, quod sine mercedis interventu
oleum sibi dari petierint, quasi pro divina gratia
& caritatis oleo laboris aliquid velat precium sit per-
solvendum, ut Barradius loquitur. Nam non pos-
sumus nostrorum operum meritis vel gratiam
Dei, vel peccatorum remissionem vel vitam
aeternam mercari, sed haec omnia gratis propter
Christum nobis obtingant, inde absque argen-
to & absque ulla commutatione ea dicimur emere
Esa. 55. v. 1. *Apud amatores hujus seculi non qui-
dem talis est emptio, sed apud auctorem seculi alia esse
omnino non potest, uti pulchre loquitur Bernhardus
serm. 2. de resurrect. Illud verò optime congruit
rei per parabolam significata, quod haec fatuae vir-
gines oleum à prudentibus sibi communicari pe-
tunt, quando lampades suas in adventu sponso
extingui animadvertunt. Per hoc enim signifi-
catur, quod hypocritae in die judicii re ipsa ani-
madversuri sint, vera fide & sincera pietate se
destituti, quodque imploraturi sint auxilium San-
ctorum, quos saluti suae rectius consuluisse ex li-
bris in judicio aperiendis intelligent. Auctor ope-
ris imperf. d. l. hoc eò accommodat, quod non
solum operum communicationem, sed etiam inter-
cessionem à piis sint petitori: *Date nobis de oleo ve-
stro, hoc est, vos sancti, qui habetis opera larga jus-
titiæ sufficientia vobis non solum ad evadendam pe-
nam, sed etiam ad gloriam consequendam, accommo-
date nobis auxilium operum bonorum vestrorum, hoc
est, intercedite pro nobis peccatoribus ad Dominum,
quia justitia vestra sufficiens est, & glorificare & nos
excusare.* Sed hanc vanam persuasionem & fru-
straneum desiderium refellunt ipsamet virgines
prudentes in 2. hujus dialogismi membro,
quod continet prudentium responsum. At respon-
derunt prudentes: *Nequaquam, ne non sufficiat no-
bis & vobis, sed ite potius ad eos, qui vendunt &
emite vobis ipsis.* Tria in hoc responso conti-
nentur. 1. communicationem olei recusant, 2. re-
cusationis suae causam explicant. 3. ad ementes fa-
tuas virgines ablegant. Sicut in eo prudentiam
suam demonstraverant, quod oleum in vasis suis
una cum lampadibus secum assumerant, quo lam-
padum lumen foverent & instaurarent: ita de-
nuò hic edunt prudentiae suae indicium, dum pe-
titionem fatuarum prudenter declinant, ac quod
in proprios usus necessarium erat, aliis commu-
nicare renuunt. Recusatio ipsa *ἐπιεικείας* effertur.
Subintelligendum enim *ἐδοξαμεν, βλεπόντων ὅδ
μη νότι* &c. *Nequaquam, vel non facimus, viden-
dum enim vel periculum est, vel timemus, ne non
sufficiat nobis & vobis.* Latinus interpres non le-
git particulam adverbivam ἢ, sed simpliciter
ver-*

vertit, responderunt prudentes &c. ideo nullam hic agnoscit ellipsin. Sed in Græco textu, (qui constanter legit particulam *de*) duplex occurrit ellipsis, una sententiæ negativæ, cujus ratio exponitur, altera verbi vel participii, unde pendet conjunctio *μη* posita pro *iva μη*. Rationem, cur reculent, explicant his verbis, *ne non sufficiat nobis & vobis*. Triplex hic occurrit lectio. Quidam Codd. legunt, *μη ποτε & μη αρκεση*, quidam verò, ut Complutensis & alii legunt, *μη ποτε & μη αρκεση* in forma futuri. Sed probatissimi Codices habent, *μη ποτε & μη αρκεση*, quæ lectio merito retinetur, quamvis omnium trium idem sit sensus. Inde enim atq; ideo negant, fatuis olei communicationem, cum ipsamet eo indigeant ac metuendum sit, ne si ex eo quicquam aliis dare velint, neutris postmodum sufficiat. Latinus Interpres addit particulam dubitandi, *ne fortè non sufficiat*, sed in Græco illa non additur, sed simpliciter dicitur, *ne non sufficiat*, vel ne quando non sufficiat, ex quo etiam intelligitur, ut Hieronymus in h. l. rectè monet, denegationem illam non proficisci ex invidia, sed ex prudentia. *Hoc*, inquit, *non de avaritia prudentes, sed de timore respondent*, non apertè negantes, sed prudenter declinantes fatuarum petum. Sic enim informant responsum, ut eo possit accipi sensu, quod vellent quidem de oleo suo fatuis communicare, si possent, ac nisi periculum illud obstaret, quod utrisque postea carendum sit, & propter olei in lampadibus defectum à nuptiarum gaudiis exulandum. Per recusationem in sensu mystico significatur, quod in die iudicii hypocritæ & impii à piis & fidelibus nullum impetraturi sint, vel etiam impetrare possint auxilium; per recusationis rationem, quod nemo possit alteri suam fidem ac iustitiam communicare, sed quod *justus fide sua vivat*. Habac. 2. vers. 4. *ac iustitia iusti sit super eum*. Ezech. 18. v. 20. Recusationi subiungunt prudentes virgines exprobrationem: *Sed ite potius ad eos, qui vendunt*, hoc est, ad venditores olei, quos dicere possis *ελασπωλας*, participium enim *πωλωντας* ponitur loco nominis, & emite *εαυταις* vobis ipsis. In uno Codice pro *πορευομε δε μαλλον* legitur *πορευομε μαλλον*, quo modo etiam legit interpres Latinus, quam lectionem si sequamur, in præcedente membro nulla erit ellipsis: *Ne non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes & emite vobis*. Sed probationes & plures Codices adversativam expriment, quam etiam retinuit Syrus interpres. Quidam putant, hoc esse consilium & exhortationem, quod fatuæ à venditoribus oleum debeant emere. Et sanè nullum videbatur salutarium consilium vel præsentius remedium, quo defectui olei occurri possit, interim magno cum periculo conjunctum, metuendum enim erat, ne ob moram in eundo & emendo necessarium sponsum adventaret, antequam redirent hæ emtrices, sicque à gaudiis nuptiarum excluderentur. Sed hoc non convenit rei per parabolam significatæ, reprobenim ab electis, impii à fidelibus in die iudicii, ut nullum auxilium, ita quoque nullum consilium impetrare poterunt, ac nihil eorum quod per oleum hic significatur, videlicet gratia Dei, vera fides, sincera pietas &c. pecunia vel laborum meritis comparari possunt, sed in tempo-

re hujus vitæ gratis dantur. Esa. 55. vers. 1. cap. 61. v. 2. Quidam statuunt esse potius sarcasticam irrisionem; quam exhortationem. Augustin. serm. 23. de verb. Domini: *Non consulentium, sed irridendum est ista responsio. Non enim sapientes de suo erant, sed illa in illis erat sapientia, de qua scriptum est. Prov. 1. v. 24. Quia vocavi & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo*. Sed nec hoc videtur rei per parabolam significatæ, videlicet affectui beatorum in die iudicii convenire. Quidam existimant, esse negligentia exprobrationem, ut sit sensus. Non defuit vobis hactenus tempus & occasio comparandi olei, sed ntrumque turpiter neglexistis, jam frustra à nobis inopia vestra prospici desideratis, præterit tempus, quo oleum venale proficit, ejus recuperandi facultas penitus vobis ablata, nimis serò ad venditores abibitis, præsentem jam sponso, à nuptiis excludemini &c. Sed Simon de Cassia lib. 6. cap. 28. monet, nec hoc satis conveniens videri mystico sensui. *Non instrunt*, inquit, *nec exprobrant, quia tunc nulla doctrina utiliter instruit, nec electorum est superbia infra se possis exprobrare*. Quidam ergo statuunt, hoc tantum ad complementum & ornatum parabolæ esse adjectum, sicut sequens membrum, quod fatuæ hæ virgines emtum abierint, quod in die iudicii non habebit locum. Quod si omnino ad rem per parabolam significatam hoc accommodare velimus, dici poterit, *caute loco adjectum esse*, quod in hac vita ad spiritualis olei venditores nos conferre debeamus, & oleum ab illis sine precio emere Esa. 55. vers. 1. ne in die iudicii audire cogamur: *Ite ad eos, qui vendunt*, quod tunc erit planè frustraneum & aduvarum. Ex quo etiam intelligitur, quid per *ελασπωλας* in sensu mystico sit intelligendum. Augustinus ser. 23. de verb. Dom. & qui eum libenter sequuntur, Beata ac Gregorius, intelligunt significari *adulatores*, qui fatuis virginibus falsarum laudum fumos vendere soliti fuerant, ut sit sensus: *Ite jam ad adulatores, quorum laudibus delectari solebatis. Non solebatis bene vivere, nisi quia vos homines laudabant, quia vobis oleum vendebant. Quid est oleum vendebant, laudes vendebant? Qui vendunt laudes nisi adulatores? Quanto magis non acquiesceritis adulatoribus, & intus oleum portaretis & propter conscientiam omnia bona opera faceretis, tunc diceretis, oleum peccatoris non impinguet caput meum. Quid est oleum peccatoris, nisi blandimenta adulatoris? Ite ergo ad vendentes & emite vobis, hoc facere consuevistis. Sed hæc interpretatio congruit potius illi hypothese, quod in his verbis sit irrisio. Eam si hoc loco statuere velimus, haud absurde poterunt hæc verba eò accommodari, quod pii ablegent hypocritas ad opera supererogationis, quæ à Monachis, & indulgentias, quas à Pontifice Romano emere solent, quod in die iudicii nihil ipsis proderit, fatui enim illi emtores à nuptiis excluduntur, ut in parabola sequitur. Chrysostomus in hunc loc. per vendentes intelligit pauperes, à quibus oleum emere dicimur, quando illis in hac vita benefacimus. *Qui vendunt*, inquit, *oleum? qui pauperie premuntur. Ubi verò isti reperientur? in hac solummodo vita, hic ergo, non ibi quarendi sunt. Vides, quam magnæ**

magnas ab inopibus merces negotiemur? hic igitur oleum colligendum est, ut ibi, cum tempus fuerit, paratum nobis adsit. Ad hanc interpretationem accommodari posset dictum CHRISTI Luc. 16. versic. 9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Hieronymus eodem fere modo explicat: *Venditur, inquit, hoc oleum & multo emitur precio ac difficili labore conquiratur, quod in eleemosynis cunctisque virtutibus & consiliis intelligimus magistrorum.* Statuit igitur virgines fatuas, hoc est homines virtutibus & bonis operibus destitutos in hunc mundum remitti, ut ante diem iudicii, dum adhuc durat tempus gratiae, bonorum operum oleum multo labore sibi comparent. Omnium optimè Origenes & Autor imperf. operis per venditores olei intelligunt ministros Ecclesiae, qui praedicant verbum Dei, ex quo vera fides & sincerum pietatis studium in cordibus hominum accenditur. *Venditores bonorum operum vel doctrinae* (inquit Autor imperf. operis homil. 52.) *Sacerdotes sunt, qui praecepta iustitiae in populo dant quasi precium, aliquid accipientes fidem ipsorum, qui peccatores per poenitentiam solvunt, precio confessionis eorum placati.* Aut certe hoc precium doctrina accipiunt, quando sic docentes eos audierit populus. *Populus quidem per obedientiam suam mercatus est sibi salutem, Sacerdotes autem, qui docuerunt & laboraverunt circa eos, recipient à DEO doctrinae suae labores.* Bonum ergo est consilium Sanctorum ad peccatores, ut eant ad Sacerdotes & fideliter audiant eos, & cum audierint, faciant, & habeat virtutem olei fides eorum, si tamen habuerint tempus, quae omnia non de emptione olei proprie sic dicta, sed quae fit fieri precio Esa. 55. versic. 1. nec de meritis bonorum operum, sed de gratuitis eorum praemiis sunt intelligenda. Fideles enim Ecclesiae doctores non querunt ea, quae sunt auditorum, sed ipsos auditores, hoc est, non inhiant temporalibus ipsorum bonis, sed aeternam eorum salutem quaerunt 2. Corinth. 12. versic. 4. nec κατηλεύσασθαι Dei verbum 2. Corinth. 2. versic. 16. &c. Colligitur autem ex prima isthac virginum nuptialium ratione eventus disparitate. 1. quod hypocritae in die iudicii, sed nimis serò intelligent, gloriationem de fide & externam pietatis speciem, qua sese hominibus in hac vita commendarunt, ipsis nihil prodesse ad salutem, cum fuerint vera & viva fide ac interiore sinceræ pietatis studio vacui, qua sese Deo approbassent. 2. Sera igitur ac praepostera erit eorum poenitentia, qui suos defectus non prius, quam in die iudicii sentiunt, tunc enim non amplius erit tempus emendationis, sed retributionis Sap. 5. versic. 2. & seqq. 3. Hieronymus in cap. 6. Galat. ex hoc loco ejusmodi doctrinam necit. *Dum in praesenti seculo sumus, sive orationibus, sive consiliis nos invicem coadjuvare possumus, cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe rogare poterunt pro quoquam, sed unusquisque onus suum portabit* Ezech. 14. versic. 14. Galat. 6. versic. 5. Tunc unusquisque iudicabitur ex propriis non ex alienis 2. Corinth. 5. versic. 10. tunc aliorum virtutes non poterunt aliorum sublevare vitia, ut idem Hieronymus loquitur in comm. h. l. 4. Ergo dum in hac vita tempus habet

Harm. Tom. II. vel Gerhard. Cont. pars secunda.

mus, oleum paremus, hoc est, audiamus verbum, utamur Sacramentis, credamus in Christum, & ex fide bene operemur Galat. 6. versic. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, inquit Salomon Eccl. 9. versic. 10. pro virili opere, quia nec cogitatio, nec industria, nec scientia erunt in sepulchro, quo tu vadis.* Qui praedicationis tempus in hac vita neglexerint, tunc in die iudicii frustra doceri petent, quia non erunt ibi venditores olei. Prophetæ, Apostoli & Ecclesiae ministri, qui hoc vendere solebant, tunc docere cessabunt. Qui in hac vita de necessariis ad salutem sibi non prospexerint, frustra ab aliis auxilium, consilium & solatium in die iudicii expetent. In hac vita alii alios mutuis officiis juvare possunt, sed postquam tempus gratiae præterit, non dabitur amplius locus mutuae communicationi. 5. Hilarius can. 27. in Matth. ex his verbis infert, bona opera non posse aliis applicari. *Fatua, inquit, deprecantur prudentes, ut oleum mutuent, quibus responderunt, non posse se dare, quia non sit forte quod omnibus satisfiat, alienis scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuique lampadi suae oleum emere sit necessesse.* Ut nemo justificatur fide aliena, sed ad justificationem sua cuique fide opus est: ita nemini possunt aliorum opera applicari vel communicari, sed cuiusque fides suis se exercere debet operibus. Simon de Cassia lib. 6. cap. 28. *Nullus hominis iustitia, excepta iustitia Christi, sufficit nisi sibi, alioqui ex hominibus hominum potuit esse redemptio. Fatuas ergo est aliena iustitia in conspectu Dei patrociniū querere, qui solum iudicabit ex propriis.* Vanæ igitur sunt gloriationes Monachales de operibus supererogationis, quæ aliis se communicare posse fingunt. Vanæ sunt persuasiones de meritis Sanctorum, quæ per indulgentias Pontifex distribuit. Excipit Maldonatus, hanc pambolam, & ex eo deductum Hilarii dictum non opponi meritis & suffragiis Sanctorum, cum de statu in die iudicii futuro tantum agat, alias sequeretur etiam Sanctos dum viverent, non potuisse alios precibus juvare; sed & Sanctorum meritis juvari mortuos manifestum esse dicit ex Luc. 16. versic. 9. Matth. 9. versic. 2. Resp. aliud est mutua intercessio, aliud verò meritorum communicatio. In hac vita pii possunt ac debent juvare impios exhortatione, oratione, intercessione, non ut ipsis aliena merita communicentur, vel ut ipsi aliena fide vel iustitia Sanctorum salventur, sed ut ad poenitentiam perducantur & ex auditu verbi fidem concipiant, in extremo autem iudicio non poterunt eos juvare, quia prætermisso tempore gratiae tunc non amplius locum habebit poenitentia. Sic ergo in die iudicii nec mutua intercessio, nec meritorum communicatio locum habebit, in hac verò vita mutua intercessio tantum, non autem meritorum communicatio locum habet. Nec potest contrarium demonstrari ex Luc. 16. v. 9. vel Matth. 9. versic. 2. quia pauperes non recipiunt nos in aeterna tabernacula meritorum communicatione, sed in hac vita fidei pro nobis intercessione, in die iudicii publica de fide nostra testificatione. Quod pauperibus benefactum, illud Christus sibi ipsi factum asserit Matth. 25. versic. 40. pauperes igitur nos dicuntur in tabernacula aeterna recipere, quia Christus, cui in persona pauperum benefecimus, nos in ea

Aaaa 3 reci-

recipiet. Paralytico ad Christum deportato non fuere communicata portantium merita, sed peccatorum remissionem & sanitatis restitutionem. ipsi impetravit fides propria. 6. Autor imperfecti operis homil. 5. 2. ex hoc loco probat, Sanctos non confidere propriæ suæ justitiæ, quasi ipsis, nedum aliis, ad salutem sit sufficiens. Ostenditur, inquit, in his verbis, quod ita terribile futurum sit iudicium illud, ut nulla innocentia sibi confidat. Et verè quis est homo natus de muliere, qui credit justum se esse invenendum in conspectu illius, de quo beatissimus Job dicit, *Stellæ in conspectu ejus non sunt munde, & cælum sine crimine non est.* Si ergo impeccabilis Natura stellarum & cæli, quantum ad justitiam Dei, invenitur esse peccatrix, quomodo ante eum homo appareat justus, cujus & sine voluntate peccandi Natura ipsa peccatum est dicente Apostolo: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato &c.* Tantus timor tunc erit omnium etiam Sanctorum, ut nemo speret se justum invenendum, sed adhuc timeat, ne forte reus existat. Quis enim potest ad perfectum dijudicare conscientiam suam & cognoscere cor suum, cum scriptum sit: *Quia de omni verbo otioso reddidit sumus rationem?* Et paulò post: *Hec ideo dicit (ne forte non sufficiat nobis & vobis) quoniam indignæ sunt passionis hujus temporis ad futuram gloriam.* Si ergo major erit gloria, quæ preparata est Sanctis à Deo, quam quod unusquisque Sanctorum meretur, quomodo sufficiat & aliis ad salutem uniuscujusque opus eorum, cum nec sibi soli sufficiat ad gloriam illam justò iudicio consequendam. Notandum tamen, quod hæc opposita sint vanæ de propria justitiâ & operum sufficientia ad salutem confidentiæ, non autem filiali erga Deum fiducia in Christi meritum unice recumbenti, quæ adversus conscientiæ pavores in die iudicii pii sese animabunt atque erigent.

Alterâ istarum virginum disparitas in eo consistit, quod fatuarum lampades extinguuntur, prudentum verò lucentes perseverant. Lampades suas extinguere non solum ipsæmet fatuæ fatentur, sed intelligitur etiam illud ex præcedente membro, videlicet ex olei in vasis defectu. Ubi enim deficit oleum, quo lampadum lumen foveatur, lampades tandem extingui necesse est. Prudentum autem lampades in lumine fuisse stabiles ac perseverantes, intelligitur tum ex membro præcedente, videlicet ex olei sufficientia, tum ex membro sequente, quia cum sponso ad gaudia nuptiarum intrasse dicuntur, quod non nisi lucentibus lampadibus fieri consueverat. Quid verò per hanc lampadum extinctionem in sensu mystico significatur? Irenæus lib. 2. cap. 46. applicat ad eos, qui præteritis claris & manifestis Scripturæ dictis obsecratoria loca premunt & ad errores confirmandos insabuntur. Secundum hanc rationem, inquit, *videlicet quæ ex ambiguis dictis nova dogmata probantur, homo quidem semper inquit, nunquam autem inveniet, eo quod ipsam inventionis abjecerit disciplinam.* Et cum venerit sponsum, is, qui imparatam habet lampadem, nulla manifesti luminis claritate fulgentem, recurrit ad eos, qui absolutiois parabolarum in tenebris distrahunt, relinquens eum, qui per manifestam prædicationem gratis donat, ab eo perit ingressum & excluditur à thalamo ejus. Augustinus ferm. 23. de verb. Dom. eo accommodat,

quod humanæ laudes in die iudicii cessabunt. *Antequam dormirent ille virgines, non est dictum, quia extinguantur lampades earum. Sapientium lampades ardebant de oleo eterno, de conscientie securitate, de interiore gloria, de intima caritate. Ardebant tamen & illarum fatuarum. Quare tunc ardebant, quia non deerant laudes hominum. Postea verò, quam surrexerunt, hoc est in resurrectiore à mortuis, quia tunc nemo est, qui laudet, lampades cooperunt deficere.* Sed quia superius ostendimus, per lampades fatuarum intelligi fidem hypocriticam ac temporariam, ideo per extinctionem lampadum principaliter ac primario significatur, quod in die iudicii hypocritarum eorum, qui vera fide destituti, hominibus, non autem Deo in hac vita sese commendaverunt, sit detegenda ac inanis sanctitatis splendor evaniturus; secundario ac minus principaliter insinuat, quod multorum fides sit temporaria, eorum scilicet, qui Spiritu incipiunt, sed carne consumunt Galat. 3. vers. 3. *qui non habent radicem, sed sunt prope radicem, ac facta tribulatione & persecutione propter verbum contumido scandalizantur* Matth. 13. v. 21. Bernhardus insentent. statuit, *lampades fatuarum nunquam luxisse sed extinctas dici, quia tandem apparuerit, eas non vere lucere, quod pulcre congruit cum Natura hypocritarum, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegant.* 2. Tim. 3. vers. 5. *Ego reor, inquit, minime fuisse accensas, quæ tunc videntur extingui.* Accipientes dixit lampades, non accendentes, quomodo enim accenderunt, quæ non sumserunt oleum secum aut ubi ignis materia defuit, quomodo ignis fuit? &c. quoniam vitrea magis, quam ignea claritate fulgebant, eo ipso lampades suas arbitrabantur extingui, cum inanem hunc splendorem ab æterna conspexerint luce separari. Sed ostendimus superius, primum quidem omnium virginum lampades accensas fuisse, postea verò fatuarum lampades ob defectum olei in vasis fuisse extinctas, in lampadibus enim oleum habebant, non autem in vasis, quod ipsum etiam hypocritarum externæ sanctitatis splendore lucenti accommodari potest. Nostrium est, ab hypocritis sedulo nobis cavere ac jugiter ad Deum ingemiscere, ut suæ gratiæ ac misericordiæ oleo lampadem fidei nostræ perenniter foveat, ne ullo unquam tempore extingatur.

Tertiâ disparitas hæc est, quod prudentes virgines unâ cum sponso ad gaudia nuptiarum intromittuntur, fatuæ autem ab illis excluduntur. In hac disparitate occurrit. 1. Fatuarum ad emendum oleum abitus. 2. Subitus sponsi adventus. 3. Prudentum cum sponso ad nuptias ingressus. 4. Aditus fatuæ præclusus. 5. Frustraneus earundem conatus. Porro dum fatuæ irent emtum, venit sponsum. In præcedentibus dictum, quod prudentes fatuæ olei communicationem petentibus responderint. *Ite ad eos, qui vendunt, & emite vobis.* Dum ergo olei emendi causa fatuæ abirent, ex improvviso adfuit sponsum coram sponse ædibus, deducturus eam & socias ad gaudia nuptialia. Quid verò per hunc fatuarum ad emendum oleum abitum in sensu mystico significatur? Certum est, non posse significari, quod qui vera fide & sincera pietate destituti fuerint, in die iudicii abituri sint in hunc mundum ad ea sibi comparanda, quia tunc non amplius erit emtionis, id est,

id est, bonæ operationis locus, sed juxta eum statum, in quo unusquisque mortuus est vel in die judicii deprehensus, judicabitur. Nec hoc significari potest, quod in die judicii quidam futuri sint absentes, ad quos hypocritæ consilii & auxilii causâ abire possint, quia omnes *sistemur coram tribunalis Christi Rom. 14. v. 10. omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout antea in corpore gessit sive bonum sive malum 2. Cor. 5. v. 10.* Ergo vel ad complementum duntaxat parabola & pertendam narrationis seriem hoc pertinet, verisimile enim erat, virgines fatuas ad emendum oleum abituras, cum i prudentibus illud frustra sibi dari petissent, vel significatur, in die judicii reprobos de alienis subsidiis fore quidem sollicitos, sed omne ipsorum iter, id est, omnem conatum, omnem industriam, omne desiderium fore frustraneum, cum nullibi oleum, divinæ misericordiæ ac fidei & bonorum operum invenire possint. Principaliter hoc membrum fuit eo sine adjectum, ut viam sibi pararet Christus ad significandum, fatuas virgines à gaudiis nuptialibus fuisse exclusas, ideò hanc abitionem ad emendum oleum posuit tanquam occasionem, quâ factum fuerit, ut sponso ipsi absentibus veniente reliquæ virgines lampadibus lucentibus instructæ ad gaudia nuptiarum una cum sponso intrarent, ipsæ verò à gaudiis illis miserè excluderentur. Hic enim principalis parabola scopus est, docere, quod ab ingressu cælorum & consortio cœlestium gaudiorum excludendi sint, qui non fuerint inventi in adventu Christi ad judicium parati. Inde Christus *αὐτὸς ἑρμηνεύων* subjicit: *Quæ paratæ erant, intraverunt cum sponso ad nuptias. cæci ἐτοιμασθαι, quæ lampades suas paraverant, quibus non deerat oleum ad lampadum lumen necessarium, quæ sponso veniente paratæ inveniebantur, intraverunt cum sponso & sponsa, cui comites ac sociæ erant additæ, εἰς τὸς γάμους.* Præpositio *εἰς* ostendit per nomen *γάμους* hic intelligendum esse locum convivio & gaudiis nuptialibus destinatum, in qua significatione usurpatur Matth. 22. v. 10. Luc. 12. v. 36. cap. 14. v. 8. &c. unde Syrus paraphrastice reddidit, *intraverunt* *לְבַרְכָּהּ* in domum nuptiarum. Per *τὸς ἐτοιμασθαι* intelliguntur, qui in die judicii verâ fide & sincerâ pietate instructi inventi fuerint, quos Christus Math. 24. v. 44. Luc. 12. v. 40. itidem vocat *ἐτοιμασθαι*, ac Paulus Tit. 3. v. 1. *πὸς τὴν ἐργον ἀγαθὸν ἐβίμασθαι*, quos dies novissimus deprehendet non securitatis carnalis ac peccatorum mortalium somno oppressos, sed adventum Dominicum vigilanter expectantes, vel qui in verâ fide & invocatione Christi obdormierunt &c. Per, *τὸς γάμους* intelligitur beatitudo cœlestis, cujus participatio abundantissimam electis pariet latitiam, qualis metaphoricè cœlestium & æternorum gaudiorum descriptio etiam extat Apoc. 19. v. 7. *Gaudemus exultemus, & demus gloriam Domino, quia venerunt nuptiæ Agni & uxor ejus preparavit se v. 9. Et dixit mihi. Scribe, Beati, qui ad pœnam nuptiarum Agni sunt vocati.* Porro quod virgines, quæ paratæ erant, ad nuptias cum sponso ingressæ dicuntur, illud accipiendum est *exclusive*, quod solæ illæ ad participationem nuptialium gaudiorum fuerint admittæ, fatuas enim & imparatas exclusas fuisse ex sequente

membro intelligitur. Neq; pugnat cum hac assertionem, quod Matth. 22. v. 11. ad nuptias intrare dicuntur *non ornati veste nuptiali.* Aliæ enim sunt nuptiæ, de quibus agitur in parabola Matth. 22. v. 1. aliæ verò, de quibus præfens parabola tractat. Illæ celebrantur *in hac vita* in Ecclesia militante, hæ verò celebrabuntur *in die novissimo* in Ecclesia triumphante. Ad illas intrant etiam illi, qui non sunt ornati veste nuptiali, ad has verò non nisi illi, quibus *datum est se cooperire byssino splendenti & candido, byssinum verò sunt τὰ δὲ καὶ ὁμοίωτα* sanctorum Apoc. 19. v. 8. Ad illas vocantur homines per *tubam Evangelii*, ad has per *tubam Archangeli.* Ad illas qui intravit, potest iterum excis ejici vel exire, ad has qui semel intromissus, nunquam ex eis iterum exit vel ejicitur, unde sequitur in parabola. *Et clausa est janua.* Postquam sponso cum sponsa & ejus sociis in domum nuptiarum introierat, januam curavit claudi, ne quis scilicet peregrinus irrumperet, ingressi enim erant omnes, qui ad nuptias fuerant admittendi. Significatur in sensu mystico, quod tunc hypocritæ & impii serâ atque frustraneâ pœnitentia ducti de mediis ac remediis salutis in die novissimo cogitabant, Christus ex improviso veniens illos, quos paratos, hoc est, verâ fide & sincerâ pietate instructos tunc invenerit secum in possessionem æternæ beatitudinis ac cœlestium gaudiorum sit introducturus, ex qua nec semel admittis egressus, nec semel exclusis ullus in omnem æternitatem patere debeat ingressus. Utrumque enim januæ oclusio præstat, prohibet, ne domesticus egredi, neve alienus ac peregrinus possit ingredi, quod Abraham Luc. 16. v. 26. sic effert. *Inter nos (beatos) & vos (damnatos) magnum chasma firmatum est, ut qui hinc ad vos transire volunt, non possint, neque qui isthinc sunt, ad nos transire.* Hæc exclusio damnatorum ab æternæ beatitudinis consortio, imò ab omni spe securitæ participationis inenarrabilem in ipsorum animis produceret anxietatem, quam in sequentibus verbis emphaticè Christus exprimit, quando statim subjungit. *ὄσπερ* deinde vel posterius (vocula enim *novissime* non satis huc quadrat, cum de duobus tantum virginum ordinibus sermo sit) postquam scilicet virgines paratæ intraverant cum sponso ad nuptias & janua jamdum erat clausa, *veniant & reliquæ virgines dicentes, Domine, Domine, aperi nobis.* An oleum, quod emerent, invenerint, ac cum lampadibus ardentibus ad ædes convivii nuptiales venerint, non exprimitur, nec convenit rei per parabolam significatæ, istud affirmare, sed potius negare, ut Orig. rectè monet. Hoc verò de illis dicitur, quod januam domus nuptialis pulsaverint, clamantes: *Domine Domine, aperi nobis.* Non dicunt, sponse aperi nobis, sed Domine aperi nobis, ut honorificâ compellatione ad misericordiam magis flectant & intromissionem impetrent. Nec semel tantum dicunt *Domine*, sed bis repetunt, quod pulchrè congruit naturæ hypocritarum, qui Matt. 7. 21. sic describuntur. *Non omnis, qui dixerit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Exprimit & hæc ingeminatio ardens desiderium, quo damnati à salute exclusi in die judicii vitæ æternæ gaudia frustra desiderabunt & anxium metum, quo verentur, ne frustra intromitti petant & exclusæ mancant. Quidam

st. tuunt, hoc non ad significandum, sed tantum ad explendam parabolæ contextum esse adjectum. quia à fatuis virginibus tale quid peragi sit verisimile, si à nuptialibus gaudiis præter opinionem excludantur. Sed si statuatur, fatuas nec oleum emisse, quippe quod extra tempus oleo acquirendo destinatum quærebant, nec lampades lucentes secum attulisse, quas semel extinctas oleo deficiente non poterant reaccendere, ac nihilominus magno desiderio in ædes nuptiales intromitti petisse, pulcherrimè exprimitur tum ingens & inexplicabilis dolor, quem damnati ex eo percipient, quando januam cælorum sibi clausam esse intelligent, tum stupenda ipsorum stoliditas, quod sine verâ fide cum sincero pietatis studio conjuncta ad cælestis beatitudinis consortium admitti desiderabunt. Abulensis quidem statuit, *virgines hæc oleum invenisse & emisse, cum sine oleo non fuissent ausæ redire ad sponsum ac intromissionem petere.* Sed fatuitati ipsarum hoc tribuendum, quod frustra sperant tum sponsum esse prætolaturum, donec à mercatoribus redeant, tum clausam januam iterum fore aperiendam, tum sine oleo & lampadibus ad nuptiarum gaudia se esse admittendas, quæ omnia hypocritis & impiis pulchrè accommodari possunt. Illi enim in hac vita pœnitentiam de die in diem differunt, & in peccatis securè pergunt, Dominum adhuc longè abesse cogitant; in novissimo autem judicio cum tempus pœnitentiæ & gratiæ jam præterit, nimis serò dolebunt, se à consortio beatitudinis cælestis excludi, optabunt se posse judicem ad misericordiam flectere, ac intromissionem ad gaudia cælestia impetrare, sed nil eis proderit anxietas illa incipientibus bene agere, cum tempus bene augendi concluditur, nec proderit eis ex necessitate repetita confessio, cum ex voluntate nec semel confessi fuerint, ut loquitur Autor imperf. oper. hom. 52. *Venient per seram pœnitentiam, pulsabunt per desiderium præposterum, clamabunt per infructuosas lachrymas, Domine, Domine aperi nobis, sed ille respondens dicit: Amen dico vobis, non novi vos.* Sponsum non progreditur ad eas foras, nec januam ipsis aperit, sed intus respondet, non novi vos. Præmittit autem gravem ac seriam asseverationem, *Amen dico vobis*, qua occurrere vult tacitæ ipsarum objectioni & veritatem verborum suorum confirmare. Poterant enim obvertere, se invitatas fuisse ad nuptias, quinimò sponsæ comites ac socias fuisse, sed respondet sponsum. *Non novi vos*, id est, non agnosco vos pro meis, non curo vos, non aestimo vos dignos meis nuptiis, ac proinde nolo januam aperire ac vos intromittere. Verba enim notitiæ apud Hebræos connotant affectum cordis, unde per verbum notitiæ simul connotatur cura, quam vocant *scientiam beneplaciti & approbationis*, Psal. 1. v. 6. Joh. 10. v. 14. 2. Tim. 2. v. 19. &c. August. ser. 23. de verb. Domini. *Non novit illas, qui novit omnia? quid est ergò non novi vos, improbo vos, reprobo vos.* Congruit hic loquendi modus etiam vernaculæ nostræ linguæ, cum quibus enim nulum cupimus habere commercium, illis dicimus, *non novi vos*, etiam si quoad simplicem notitiam nobis non sint ignoti. Similis serè parabola extat Luc. 13. v. 25. *Cum intraverit paterfamilias & clauserit ostium, incipietis foris stare & pulsare ostium,*

dicentes: Domine aperi nobis & respondens dicit vobis. Nescio vos unde sitis. Significatur autem, hypocritas & impios, qui imparati ex hoc mundo per mortem decesserunt, vel quos dies novissimus imparatos offendet, frustra in die judicii misericordiam imploratos, neque quicquam precibus vel lachrymis suis impetratos. Quamvis in hac vita fuerint sponsæ comites, id est, in externa Ecclesiæ societate constituti, tamen tunc audire cogentur, *non novi vos, discedite à me omnes operarii iniquitatis*, sicut Christus Matth. 7. v. 23. hanc parabolam explicat. Vox ergo illa, non novi vos, non est ignorantis, sed reprobantis ac rejicientis, resp. eadem cum illa Matt. 25. v. 41. *Discedite à me, unde Chrysost. in h. l. vocem illam ipsâ gehennâ intolerabiliorem hypocritis fore asserit. Cum dixit, nescio vos, (inquit) nihil aliud quàm gehennâ & intolerabilis cruciatus relinquitur, imò verò etiam gehennâ istud verbum gravius est.* Insinuatur etiam hac voce causa, propter quam hypocritæ & impii à consortio gaudiorum cælestium sint excludendi, videlicet, quia non fuerunt in numero eorum, quos Christus pro suis agnoscit 2. Tim. 2. v. 19. id quod solis ovibus Christi ac verè fidelibus competit Joh. 10. v. 14. Hoc enim cælestis sponsum vult dicere. Non agnosco in vobis arrham sponsalitiæ, non video in vobis signaculum Spiritus mei, quod omnibus verè piis & fidelibus commune 2. Cor. 1. v. 12. Eph. 1. v. 3. c. 4. v. 30. Ergo non possum vos pro sponsa agnoscere vel in consortium gaudiorum nuptialium admittere. Non agnosco vos pro meis discipulis, quia caritatis signo, quo discipuli mei ab aliis distinguuntur Joh. 13. v. 35. estis destituti. Non agnosco vos pro militibus, quia projectis armis lucis transfugæ estis facti nec viriliter sub vexillo meo pugnavistis. Rom. 13. v. 12. 1. Thess. 5. v. 8. Non agnosco vos pro filiis, quia paternis vestigiis insilire noluitis, sed degeneres facti paternæ imagines similitudinem amisistis Matt. 5. v. 45. Luc. 6. v. 32. Non agnosco vos pro genuinis sponsæ sociis, quia nequaquam cum lampadibus accensis mihi occurristis, nec adventum meum sollicità curâ expectastis. Non possum meos dicere, in quibus nil meum cognosco. Non agnovistis me pro Magistro, Duce, Patre, Sponso. Ergo nec ego pro discipulis, militibus, filiis & sponsæ sociis vos agnoscere, nec diligentiam præmia, victoriæ trophæa hæreditatis jura vobis tribuere, nec ad nuptiarum cælestium gaudia vos intromittere possum. Hæc omnia Christus breviter complectitur, quando in die judicii fatuis virginibus sese dicturum asserit: *Non novi vos.* Nequaquam verò ex hac fatuarum virginum exclusione colligendum, quod circa finem vitæ respicientibus deneganda sit peccatorum venia. Quamdiu enim durat tempus hujus vitæ, tamdiu quoque durat spaciū pœnitentiæ, nec ulla pœnitentia in hac vita est nimis serâ, modò sit vera ac serâ. Primario ac præcipuè Christus hic loquitur de statu in die judicii futuro, ubi jam tempus pœnitentiæ & gratiæ profus erit præterlapsum. Quod si ad mortem hominis hoc parabolæ membrum accommodare velimus, statuendum erit, tunc demum januam claudi & tempus pœnitentiæ, gratiæ ac veniæ finire, quando anima à corpore fuerit separata. Sed nec illud ex hac parabola inferendum, quod beatis in cælum

cœlum ad æternæ vitæ gaudia assumptis reprobi causam suam coram iudice multis sint acturi ac prolixis precibus intromissionem ad cœlestes nuptias peturi. Nam Matth. 25. v. 46. innuitur, reprobos prius in gehennam detrudendos, quàm beatos in cœlum assumendos, cum quò congruunt parallela Scripturæ dicta Matth. 13. v. 30. *Colligite zizania, triticum autem congregate in horreum v. 41. mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala & eos, qui faciunt iniquitatem v. 42. & mittent eos in caminum ignis. v. 43. tunc tunc iusti fulgebunt sicut Sol. Apoc. 20. v. 25. Qui non inventi sunt in libro vitæ scripti, missi sunt in stagnum ignis, tunc demum Apoc. 21. v. 1. videt Johannes cœlum novum ac terram novam.* Illud ergo duntaxat significatur, quod reprobi graviter dolebunt, videntes in adventu iudicis se non esse paratos, reliquis verò paratis suavissimam promulgari audientes sententiam. *Venite benedicti, possidete regnum.* Quod si igitur ad ordinem in die iudicii servandum hoc parabolæ membrum accommodare velimus, potius ad iudiciariæ sententiæ promulgationem, quàm ejusdem executionem respectum haberi statuendum. Ut enim Matth. 25. v. 44. promulgata iudicis sententia hypocritæ pro se respondent. *Domine, quando te vidimus esurientem, & non pavimus te?* itaque h. l. sententiæ mutationem & ad gaudia cœlestia intromissionem ferio, sed frustra desideraturi introducuntur. Observandum verò h. l. 1. Adventum Christi iudicis, respectu ad verè pios & fideles habito, comparari adventui sponsi, ac beatitudinem cœlestem comparari gaudiis nuptialibus Christus etiam in hac vita est Ecclesiæ & fidelium animarum sponsus, sed respectu desponsationis per fidem Ose. 2. v. 19. 2. Cor. 1. v. 2. in die autem iudicii hic sponsus veniet, ut sponsam suam & ejus socias, i. e. Ecclesiam & omnia illius vera membra ad nuptias cœlestes introducat Apoc. 19. v. 7. c. 21. v. 2. Comparatur verò cœlestis beatitudo nuptiis tum propter *lætitia ubertatem*, quia inter honesta mundi gaudia maximum habetur nuptiale gaudium, tum propter *unionis inseparabilitatem*, quia in vita æterna erit intima & inseparabilis beatorum unio cum Deo & Filio ejus Christo Jesu 1. Cor. 15. v. 28. tum propter *Musices suavitatem*, tunc enim resonabunt Angelorum & beatorum æterna jubila tum propter *animarum satietatem*, Psal. 16. v. 11. *saturitas lætitarum cum vultu tuo* Psal. 17. v. 15. *satiabor, cum epigilavero secundum imaginem tuam.* Matth. 3. v. 11. *recumbent cum Abraham, Isaaco & Jacobo in regno colorum.* Luc. 22. v. 30. *disponovobis regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam.* &c. tum propter *beatissimam societatem*, quia in hoc cœlesti convivio nuptiali associabimur Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, &c. tum propter *vestium fulgidissimarum preciositatem*, quia & corpora & animæ peculiare suas dotes habebunt, quibus velut fulgidissimis vestibus ornata instar solis in omnem æternitatem lucebunt Matth. 13. v. 43. &c. Desideremus igitur adventum Christi ad iudicium, i. e. adventum sponsi ad deducendam sponsam in cœlestium nuptiarum domum Apoc. 22. v. 17. &c. 2. Ex gaudiis illis cœlestibus nullum metuendum esse ejectionis periculum, nullum etiam fore egressum

desiderium, sed qui ad illorum fruitionem semel fuerint admissi, in omnem æternitatem iidem immutabiliter perfruentur. Duo sunt ingressus absq; egressu piorum in cœlum & impiorum in infernum Luc. 16. v. 26. 3. In die iudicii hypocritis & impiis clausam iri januam, videlicet *januam misericordiæ ad parcendum, januam gratiæ ad convertendum, & januam gloriæ ad intromittendum.* In hac vita patet janua gratiæ, quæ pœnitentium precibus facile aperitur Matth. 7. v. 7. *pulsate & aperietur vobis* Joh. 6. v. 37. *Eum, qui venit ad me, non ejectionem foras, sed in die iudicii clausa erit janua pœnitentiæ, janua gratiæ, janua indulgentiæ, janua spei, janua vitæ.* August. ser. 23. de verb. Dom. *dictum est, verum est, non fallaciter dictum est. Pulsate, & aperietur vobis, sed modo quando tempus est misericordiæ, non quando tempus est iudicii. Non enim possunt confundi ista tempora, cum misericordiam & iudicium Domino suo cantet Ecclesia. Aut imp. op. hom. 52. Sicut tempus misericordiæ iudicium non suscipit, sic & tempus iudicii misericordiam non recipit.* In primo adventu, cum tempus esset misericordiæ, dicit Luc. 9. vers. 56. *Non veni iudicare mundum, sed salvare, ostendens quia cum venerit in secundo adventu, iudicii tempus similiter locum misericordiæ non habebit.* 4. Hypocritas ergo & impios frustra in die iudicii clamatos: *Domine, Domine aperi nobis.* In hac vita professione tantum vocis & specie externi operis clamantur *Domine Domine*, non autem verâ fide cordis & sincero studio pietatis, unde in die iudicii frustra clamorem suum ingeminabunt. Egre-gia quidem in Domini appellatione confessio, sed quid prodest voce invocare, quem operibus neges? ait Hieron. in c. 25. Matt. Nil tunc proderit illis nimis sera vitæ malè actæ pœnitentiâ, nil desiderium emendandi vitæ & impetrandi gratiam, nil preces ingeminantes, *Domine Domine*, illæ enim, cum nullâ nitantur promissionis basi, inanes erunt atque irritæ. Greg. hom. 12. in Evang. *Ibi non poterit à Deo mereri (obtinere) quod petit, qui hic noluit audire quod iussit.* 5. Cavendum igitur sedulo, ne pœnitentiam differamus, sed in tempore durantis adhuc gratiæ maturè ad Deum convertamur. Pl. 95. v. 8. Sirac. 5. v. 8. 2. Cor. 6. v. 2. Heb. 3. v. 7. c. 4. v. 7. &c. Fatuarum virginum est *ὄσπερον* venire & in ipso sponsi adventu se demum velle ad excipiendum sponsum preparare. *Mediâ nocte sponsus veniet, hæc est illa nox, de qua Joh. 9. v. 4. dicitur: Veniet nox, quando nemo poterit operari, i. e. nemo poterit salutarem pœnitentiam agere, vel ex fide bene operari.* 6. Quamquam verò damnati scient clausam salutis januam non posse iterum aperiri, i. e. se non consequi posse peccatorum condonationem & æternæ beatitudinis participationem, ramen ardentissimè beatitudinem illam desiderabunt, cum Naturæ hominis hoc insitum sit appetere beatitudinem, quam appetitionem in pœnam & tormentum damnatorum Deus in ipsis conservabit, quia desiderium, quod non impletur, imò nec impleri posse scitur, gravissimè affligit & excruciat animam. Ac vel ex eo apparet, quanto pe-re beatitudinis desiderio excrucianti sint damnati, quod miserabiliter ingeminant, *Domine, Domine, aperi nobis.* 7. Sicut impii & hypocritæ in die iudicii audire cogentur, non novi vos, quia in hac vita Deum salutariter agnoscere ipsique obœdite recu-sarunt.

farunt. 1. Cor. 14. v. 38. *Si quis ignorat, ignorabitur:* ita vicissim Deus & in hac vita & in die iudicii verè fideles pro suis agnoscit Psal. 1. v. 6. Joh. 10. v. 14. 2. Tim. 2. v. 19. h. e. amat, fovet, tuetur & præmiis eos afficit, quia ipsi eum salutariter agnoscunt ac filialem obœdientiam ei præstant. 1. Cor. 8. v. 3. *Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab ipso.*

Tertium hujus pericopes membrum continet *Παροβολὴν* sive epiphonema parabola. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam, in qua Filius hominis venit.* Hac verba exponunt principalem totius parabola scopum, quod per eam Christus ad vigilantiam nos exhortari voluerit, ne idem nobis contingat, quod virginibus fatuis in adventu sponsi dormientibus, & oleum in vasis secum assumere oblitis, quæ propterea à gaudiis nuptiarum fuere exclusæ. Quidam statuunt, hæc verba potius referenda ad sequentem parabolam de talentis inter servos distributis, cum ea per particulam *καὶ* huic exhortationi connectatur, sed particula illativa *καὶ* manifestè ostendit ad præsentem de decem virginibus parabolam eam pertinere, cum *προειρηματικός* ac *Προφηματικός* ex ea deducatur, interim cum ad eundem ferè scopum cum hac præsentem sequens parabola tendat, ideò ad eam quoque certâ ratione accommodari potest. At, inquis, quomodo poterit hæc exhortatio ad vigilantiam ex præsentem parabolam deduci, cum virgines, quæ ad imitandum nobis proponuntur, dicantur omnes dormitasse & dormivisse? Qui utrumque membrum, videl. tum dormitionem, tum somnum ad omnes virgines, & sicutiam ad prudentes referunt, illudque vel de somno naturali vel mortis exponunt, respondent virgines non ad hoc nobis imitandas proponi, ut sicut illæ corporaliter vigilarunt, ita nos spiritualiter vigilemus, sed ut sicut illæ sibi bene prospexerunt & prudenter se paraverunt ad incertum sponsi adventum, ita & nos salutis nostræ in tempore consulamus de requisitis ad eam necessariis nobis prospiciamus & ad incertum Domini adventum prudenter nos paremus, ne cum ex improvise venerit, offendant nos imparatos & à cœlestium nuptiarum gaudiis nos excludat. Et sanè vigilantia, quam Christus à nobis requirit, vel maximè hoc complectitur, ut inveniamur in die iudicii parati lampadibus lucentibus veræ fidei & sinceræ pietatis instructi, sicut enim illud *γεννηοποιεῖ* implet declarat per *ὁ γινεσθε ἐβριμοι*, Matth. 24. v. 42. & 44. Sed quia superius ostendimus, somnum non ad prudentes, sed duntaxat ad fatuas virgines pertinere ideò talis potest dari illationis ratio. *Vigilate igitur*, i. e. cavete, à somno carnalis securitatis & peccatorum mortalium, ne vobis securè in peccatis stertentibus sponsus cœlestis ex improvise veniat & oleo veræ fidei ac sinceræ pietatis destitutos vos inveniens à consortio gaudiorum cœlestium iusto iudicio vos excludat. Ac si vel maximè ex carnis infirmitate quædam dormitatio vobis obrepat, non tamen debetis ei indulgere, sed Spiritu resistere, ac jugiter ad Deum ingemiscere, excita nos Domine, ut parati simus, cum venerit filius tuus &c. Repetit autem denuò exhortationis rationem in præcedente etiam parabola inculcatam, quia nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis venit, *καὶ οὐκ οἴσθητε ἡμέραν καὶ ὥραν* istum *ἐν ἡ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται* Latinus ac Syrus Interpretes non exprimunt, sed Græci

Codd. antiquissimi ac probatissimi eum legunt, ac convenit cum præcedentibus Matt. 24. v. 42. & 44. Marc. 13. v. 35. Multa insunt huic parabola argumenta, quibus Christus ad vigilantiam nos excitat, videl. quia repentinus & insperatus erit sponsi adventus, veniet media nocte; quia soli illi, qui parati sunt, cum sponso intrabunt ad nuptias; quia inventi imparati & dormientes à nuptialibus gaudiis excludentur; quia imparatis claudetur janua, nunquam iterum ipsis aperienda; qui recusatorum & terribile accipiet responsum, etiam si ferio petant se intronitti &c. sed ex omnibus illis primum & principale argumentum Christus disertis verbis repetit, quippe à quo reliqua omnia pendunt. *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam, in qua filius hominis venit.* Certus quidem est Filii hominis ad iudicium adventus, sed incerta est & vobis incognita adventus hora. Cum autem subito & ex improvise venerit, non amplius erit tempus parandi oleum ad lampadum lumen necessarium, i. e. poenitentiam, agendi, veram fidem ex auditu verbi impetrandi, eamque per bona opera exercendi, sed imparati excludentur à gaudiis nuptialibus, cum lampades ipsorum propter defectum olei extinguantur. Sic ergo denuò ad vigilantiam Christus nos exhortatur ac toties exhortationem illam repetit, tum ut vigilantiam necessitatem offendant, tum ut per Naturam ad somnolentiam ac negligentiam nos proclives esse innuat. Nunquam satis dicitur, quod nunquam satis dicitur, *Sapientia hic edit vocem suam Prov. 1. v. 20. Usquequò stulti odio habebunt scientiam? v. 2. pro eo, quod vocavi & remisisti vers. 24. etiam ego in exitio vestro ridebo. vers. 26. tunc invocabunt me & non exaudiam eos; quærent & non invenient me v. 28. Nonne sapientia clamat, cap. 8. v. 1. stulti intelligite corde vers. 5. audite; quoniam eximia loquar v. 6. quæ omnia cum præsentem parabola pulchrè congruunt. Utinam verò vocem cœlestis Sapientia audiremus, nec fatuis & dormientibus, sed prudentibus & vigilantibus virginibus nos associaremus Gen. 41. v. 34. præcipit Josephus Aegyptiis, ut tempore fertilitatis frumentum colligant, ne in annis sterilitatis fame perire cogantur. Ecce plus quam Josephus hoc loco. Is præcipit & clamat, *Vigilate, parati estote*, de necessariis ad salutem, durante adhuc tempore gratiæ, vobis prospicite, ne in die iudicii sterilitatem animæ experiamini. Nec est, quod quisquam regeat, parabolam hanc pertinere ad eos, quos dies novissimus vivos deprehendat. Huic enim objectioni Christus ipse occurrit verbis illis. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam, quia Filius hominis venit, id est, nescitis, an & vos in illorum numero futuri sitis, quos dies novissimus inveniet vivos, sic ergo vos gerite, ut vos semper inveniat paratos. Nescitis diem neque horam, quia Filius hominis venit, vel ad vos per mortem evocandos, vel in die novissimo ad vos iudicandos. Augustinus serm. 22. de verbo Domini. Nescitis diem neque horam non modo ultimi illius temporis, quo venturus est sponus, sed quisque dormitionis diem & horam nescit. Quisquis autem paratus est usque ad somnum, id est, usque ad mortem quæ omnibus debetur, paratus invenietur, etiam cum illa vox mediâ nocte sonuerit, quæ omnes evigilaturi sumus. Ut dies iudicii, ita quoque mortis incertus, ergo perpetuo vigilemus & pa-**

& parati simus. Indulgentiam DEUS nobis promittit, sed in hac vita, non in futura demum petendam. Indulgentiam nobis promittit, sed diem castitum nemo nobis promittit, inquit idem in Psalm. 101. cum quo congruit illud Gregorii hom. 12. in Evangel. Qui penitenti veniam spondit, peccandi diem non promittit. Vigilemus igitur ac tales nos semper præstemus, quales in hora mortis & in die iudicii inveniri cupimus: Insonent auribus & cordibus nostris fraternæ admonitiones Christi Luc. 12. v. 35. Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes v. 36. & vos similes sitis hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis Apoc. 3. v. 2. Esto vigilans v. 3. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te. v. 10. Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit

vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum & cenabo cum illo & ipse mecum. In Papatu moribundos oleo unguunt & candelam certis ritibus consecratam in manus ipsis tradunt. Sed Christus hoc loco aliud oleum nobis monstrat, quo lampades nostræ fovendæ, oleum scilicet verbi, oleum fidei & oleum Spiritus sancti ac alias lucernas nobis monstrat, quas gestare debeamus, ut in hora mortis & iudicii parati inveniamur, videlicet lucernas veræ fidei, sinceræ pietatis, prudentiæ, vigilantia &c. absque quibus externum oleum & cereæ candelæ, quamvis illud exorcisatum sit & hæc consecrata, nihil quicquam proderunt.

Fulgeat assidue fidei clarissima lampas,
Neve oleum desit, fac, bone Christe, precor.

CAPUT CLXIV.

CHRISTUS PARABOLAM DE TALENTIS
APOSTOLIS SUIS PROPONIT.

MATTH. 25. v. 14.

RATIO ORDINIS.

Parabolæ de decem virginibus immediato & in divulso nexu subjungendam esse parabolam de talentis, ostendit particula ἀποδοσκήν. Vigilate itaq; sicut enim homo peregrinè proficiscens &c. Quem admodum enim particula illativa ostendit, exhortationem Christi ad vigilantiam esse conclusionem parabolæ sequentis de decem virginibus, ita particula ratiocinativa ostendit, eandem esse propositionem parabolæ præsentis de talentis. Neque quidquam apud reliquos Evangelistas occurrit, quod interferi debeat, cum solus Matthæus parabolam in cap. 25. enumeratas proposuerit. Unicum est, quod scrupulum alicui moveri possit. Lucas cap. 19. recitat parabolam de decem minis totidem servis ab homine quodam nobili commissis, quæ cum præsentem videtur esse eadem. Quare cum ex Luca manifestum sit, parabolam illam à Christo fuisse propositam, antequam Hierosolytam abiret & regium suam ingressum celebraret, dicendum videtur, Matthæum per recapitulationem huic loco parabolam de talentis inferere, quam Lucas ordinis observator in propria sede recenseat. Hanc sententiam amplectitur Maldonatus sequentibus nixus argumentis. 1. Non videtur verosimile, Christum tam brevi temporis intervallo bis eandem parabolam diversis verbis proposuisse. 2. Hieronymus in cap. 24. Matth. & Ambrosius in cap. 29. Lucæ unam esse statuunt parabolam. 3. Non potest dari efficax ratio, quæ contrarium suadeat. Quamvis enim Evangelistæ in quibusdam circumstantiis parabolæ dissentire videantur, ex eo tamen nondum potest probari, quod sint diversæ parabolæ, quia illi, quibus invicem dissentiri videntur, non Christi verba, sed totius parabolæ scopum explicare volue-

runt, qui utroq; idem, ac verosimile est, Mattheum potius, quam Lucam verba Christi formaliter retulisse, tum quia præsens ipsemet fuerat, tum quia distinctius omnia enarrat; forte etiam Lucas, quia Christus regnum calorum decem virginibus comparaverat, eundem numerum in hac parabola usurpare voluit. Sed hæc omnia nondum evincunt, unam eandemque à Matthæo & Luca describi parabolam. Chrysostomus homil. 79. in Matth. disertis verbis statuit, diversas esse. εἰς τὸ Λυκά ἐτέρως κείμεν, ἢ τῆς παραβολῆς ἐκείνης λεκτέον, ὅτι ἀλλήλων καὶ ἐτέρα ἐκείνη. Augustin. in lib. de conf. Evang. non laborat de conciliatione circumstantiarum utriusque parabolæ, studium illud haud prætermittens, si eandem judicasset. Hieronym. & Ambrosius conferunt invicem utramque parabolam, sed ex eo inferri nequit, quod statuerint eandem esse, possumus enim conferre, quæ sunt similia, licet non sint omnino eadem, quæ affinitatem invicem habent, licet non identitatem, quinimò Hieronymus lib. 2. contra Jovian. utramque adducens unam alteri similem, non autem prorsus eandem esse dicit. Quod enim parabola Lucæ de minis non sit eadem cum parabola Matthæi de talentis, evidenter ostendit diversitas. 1. temporis. Parabolam de minis proposuit Christus, antequam sinâ vectus Hierosolytam fuit ingressus, ut ex serie Historiæ apud Lucam manifestum; parabolam verò de talentis proposuit die post ingressum tertio, ut ex serie Historiæ apud Matthæum constat, à quâ temporis serie verbis tam disertis ab Evangelistis annotata sine urgente necessitate non est discedendum. 2. loci. Parabolam de minis proposuit Christus, cum jam ipso actu proficisceretur Hierosolytam Luc. 19.

V. 11.